

CONSTITVTIONES DIOECESANAE SYNODI

FR. D. MARTINI DE LEON, ET CARDENAS

ARCHIEPISCOPI PANORMITANI

SS. D. N. P. EPISCOPI ASSISTENTIS, CATHOLICAE MAIESTATIS CONSILIARII.

Et à Latere; & Status in Regno Neapolis, & in hoc Sicilię olim Præsidis, & Gener. Capit. ab Eadem designati.

CELEBRATÆ ANNO DOMINI M. DC. LII.



PANORMI,
Ex Typograph. Petri Isola Impress. Cameral. 1653.

CONSTITVTIONES
DIOECESANAE
SYNODI
FR. D. MARTINI
DE LEON, ET CARDENAS

ARCHIEPISCOPI PANORMITANI

SS. D.N.P. EPISCOPI
ASSISTENTIS, CATHOLICAE

MAIESTATIS CONSILIARII.

Et à Latere; & Status in Regno Neapolis, & in hoc Siciliae olim Praesidis, & Gener. Capit. ab Eadem designati.

CELEBRATAE ANNO DOMINI M. DC. LII.





PANORMI,
Ex Typograph. Petri Isab. Impens. Camerali. 165[illegible].



IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.



OS FR. D. MARTINVS DE LEON, ET CARDENAS miseratione Diuina Archiepiscopus Panormitanus, &c.

Imperscrutabilis diuinorũ Iudiciorum Altitudo statim, atq; humilitatem nostram è Puteolana Ecclesia, post renunciatam Catanensem q; ac



Zama-

Zamarensem, ad huiusce Panormitanæ regimen traduxit, non amplificari Nobis dignitatem, sed multiplicari ministeria existimauimus; Nosq; huc esse missos sensimus, non ministrari, sed ministrare, non vt dominaremur in cleris, sed vt forma facti gregis ex animo, dispensatores essemus multiformis gratiæ Dei; Nobis attendentes, & gregi, in quo Nos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quæ cùm ante oculos nostros assiduè obuersaretur, protinus nostri regiminis initio, ad diuini cultus, atq; Ecclesiasticæ disciplinæ, morumque popularium reparationem animum, ac mentem conuertimus: quamobrem generalem Vrbis, ac Vniuersæ Diœceseos Visitationem indiximus, vt ouium nostrarum necessitudines propius inspicientes, ijs tempestiuè opportunis remedijs mederemur. Sed quanto eam studio inchoauimus, tanto dolore intermittere coacti sumus: ab ea scilicet Nos auocarunt Comitia Regni Generalia, quæ singulis quibusque triennijs, Catholici Regis Domini Nostri præscripto celebrantur, in quibus pro nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ prærogatiua,

1. Petr. 5. 3. ibid. 4. 10. Actor. 20. 28.

gatiua,

gatiua, Ecclesiastico Ordini præesse oportuit; ijs tamen absolutis, institutam nostri gregis inspectionem repetere, vt erat in votis, non valuimus, sublato scilicet importuna morte Siciliæ Præside, ac Capitaneo, vt vocant, Generali D. D. Antonio Breseño, & Ronquillo, ad id muneris, non solum cũctis Sacri Concilij suffragijs, sed Regis Domini Nostri Philippi IV. quẽ Deus sospitet ad multos annos, etiam iussu subrogati. Exacto per sex menses hoc Pręsidis munere, ad inchoatam visitationem distractum semel, atque iterum reuocauimus animum, eamq; ad optatum exitum fœliciter, Deo opitulante, perduximus. Diligenter igitur Vrbe, ac Diœcesi pro virili parte lustrata, editisque saluberrimis legibus, quò opportunius Catholicæ fidei doctrinæ tradendæ, tuendæque, Sacramentorum administrationi ritè obeundę, Diuini Cultus, & Christianæ Religionis splẽdori restituendo, conseruandæ, vel instaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ, ac demum certis Iudicialis fori formulis præscribendis consuleretur, eas hac quinque partita Diœcesana Synodo iuxta Sacri Concilij Tridentini Sanctionem condere, ac stabi-

lire

S.Tb.1.2.q. 100.art. 5.

lire decreuimus. In Christiana enim Republica Ecclesiasticis legibus homo rectè dirigitur; primum quidem in Deum ipsum, qui sacræ huiusce Reipublicæ Caput est, & Princeps, cui sanè omni iure debetur Fidelitas, Reuerentia, Famulatus. Atque vnius quidem fidei professione, in qua Sacramentis Nouæ Legis, quasi visibilium signaculorum consortio, vt noster Pater D. Augustinus aiebat, congregamur, vni Deo fidelitatem pro modulo nostro exhibemus. Fidei igitur, ac Sacramentorum Doctrinam, prima ac secunda Synodi partes tradunt. Dei inde Reuerentiam, & famulatum ei deferimus cultu, quo ipsum, eiusque Sanctos, excellentiores creaturas, & quidquid ad illos quoquomodo spectat, humillimè veneramur; atque de hoc diuino cultu est tertia pars Synodi. Tum ad huius Reipublicæ socios, & consortes probè ordinatur homo, si hi optimis legibus informentur, ac salutaribus disciplinis dirigantur: proinde decreta de Ecclesiastica Disciplina in quarta sancimus. Quæ quidem, vt ad praxim exactè referantur, Forensis Iudicij formulas in quinta, ac postrema præscribimus. Quæ omnia in eius glo-

lib 9 contr. Faust. c. 11. in fin to. 6.

gloriam cedant, qui dedit Nobis velle, & perficere, cui nostros qualescumque labores, nosque totos ex animo referimus, ac dicamus.





CONSTITVTIONVM SYNODALIVM CIVITATIS, AC DIOECESIS PANORMITANAE.

PARS PRIMA.

DE FIDE CATHOLICA PROFITENDA; Docenda, atque Tuenda.



FIDES Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, & ad eius filiorum cõsortium peruenire, humanæ salutis initiũ est, ac fundamẽtum, omnisq; nostrę iustificationis radix: ea enim à Domino confortamur; vt ad propositũ

Ad Hebr. 11. 12.
Ad Ephes. 6
Trid. sess. 6. in procem. et cap. 8.

nobis certamen curramus, aſpicientes in ipſius fidei auctorem, fundamentum, & conſummatorem Ieſum, & vt aduerſus Diaboli inſidias ſtare, hoc diuino clypeo, ſcutoque protecti, telaque omnia nequiſſimi extinguere poſſimus. Ab hac igitur neceſſum eſt, nè dum rationi conſentaneum, Nos exordiri, vt quam corde credimus ad Iuſtitiam, ore confiteamur ad ſalutem; ac prope ſit verbum in ore noſtro, & in corde noſtro, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.

Cap. cum Paul. prim. q. prima Cap. non liceat 26. q. 5 Cap. in nomi. 23. diſ. 1.

CAP. I.

Qui Fidei profeſſionem emittere teneantur.

ſeſſ. 24. c. 12

1 SAcroſanctę Tridentinę Synodi veſtigijs inhærentes hac præſenti conſtitutione pręcipimus, vt prouiſi de beneficijs quibuſcumque, curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ poſſeſſionis, ad minus intra duos menſes, in manibus Archiepiſcopi, vel, eo impedito, coram Generali eius Vicario, orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros

ſpon-

ſpondeant, ac iurent ad formam infra præſcriptam.

2 Prouiſi autem de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſijs Cathedralibus, non ſolum coram Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes prouiſi vt ſupra fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

3 Emittenda inſuper eſt eadem fidei profeſſio in Diœceſana Synodo ab ijs, qui vel præcedenti Synodo non interfuerunt, vel poſt illius celebrationem beneficia Eccleſiaſtica obtinuerunt. Eamdem etiam à docentibus literas, etiam ſi ſint prima rudimenta grammaticæ, & à verbi Dei Concionatoribus, coram noſtro Vicario Generali, vel alia perſona à Nobis deputanda emitti volumus: quos omnes Magiſter Notarius, vel in aliquem certum librum referat, vel in literis collationis Beneficij, cæterarumque facultatum, cum die, & anno ſtudeat annotare. *ſeſs. 25. c. 2.*

4 Forma verò huius profeſſionis fidei præſcripta fuit à SS. D. N. Pio Papa IV. tenoris, qui ſequitur. *Conſtit. in ſacroſ. 88. in bullar. Cherub. to. 2.*

Tenor professionis Fidei.

EGO N. Firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet; Credo in vnum Deum Patrẽ omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium; Et in vnũ Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum scripturas; Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius Regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas, & vnã Sanctam Catholicam, & Apostolicam Eccle-

ſiam: Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, iuxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam, niſi iuxtà vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouę legis à Ieſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationē, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiā conferre: Ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinē ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita,

&

& declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem, vna cum anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatoriũ esse; Animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas; firmissimè assero. Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano Populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, &

Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco, Romanoque Pôtifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, Ego pariter damno, reijcio; & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quã in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo; eamdem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſsimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.



CAP. II.

CAP. II.

DE FIDE CATHOLICA *a Parochis docenda, atque tuenda.*

sess. 22. c. 8. de sacrif. missæ.

5 Eiusdem Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreta amplectentes, nè oues Christi esuriant, neuè paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis, districtè pręcipimus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex ijs, quæ in Missa leguntur, præcipua nostræ fidei, ac Religionis Mysteria exponant, diebus præsertim Dominicis, ac festis. Tempore vero Ieiuniorum, Quadragesimæ, & Aduentus Domini, quotidiè, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas, diuinamque legem annuncient; & alias quotiescumque id opportunè fieri posse iudicauerint.

D. sess. 24. cap. 4.

6 Pueros Parochiæ suæ finibus contentos, singulis Dominicis diebus campanulis per regionem missis, in Ecclesiam congregēt; ibique orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei, Decalogi præ-

præcepta; cæteraque Doctrinæ Christianæ rudimenta edoceant, & si opus fuerit, ad id munus exequendum condignos operarios conuocent, quod ni faciant pœnis arbitratu nostro seuerè punientur. Porrò Confessarij grauissimam pœnitentiam imponant; itemque Prædicatores diuinam vltionem denuncient Patribus familias, & Dominis, qui omnem rationem non ineunt, vt liberi, famuli, mancipia, prouectioris licet ætatis, ijs diebus ad Doctrinam Christianam percipiendam in Ecclesijs conueniant.

Commendamus autem Parochis, vt curent puellas, & pueros addiscere Symbolum fidei, & orationem Dominicam vernacula lingua; sic enim fiet vt melius percipiant, & memoria retineant fidei mysteria, & dedecus illud vitabimus, vt sacrosancta mysteria profiteatur per verba corrupta, & quæ risum moueant apud audientes; quamobrem nos curabimus vt in exigua pagina typis edantur, vt ea folia in singulos distributa facilitatem addiscẽdi præstẽt.

7 In singulis autem nostræ Diœcesis locis Archipresbyteri per se, vel alios illam doceant, ac virorum opera vtantur, qui pro

Christiana pietate id sollicitudinis suscipiant, quibus annuncientur indulgentiæ, quæ à Pio V. & Gregorio XIII. Sum. Pont. earum sodalitatum hominibus cócessę sunt. Et quidem si in re tanti momenti tam Parochi in Vrbe, quam Archipresbyteri, & Curati in Diœcesi segniores fuerint, Testium Synodalium conscientiam oneramus vt ad nos statim deferant.

8 Ij vero, qui Hospitalibus, alijsque pijs locis præsunt, vbi plures, vel mares, vel fœminæ aluntur, hanc fidei eruditionem, tum in eos, tum in cæteros, quos habent in famulatu, sedulo inducant.

9 Omnem adhibeant diligentiam in indagando, vtrùm habeant Hæreticos homines, eouè nomine suspectos aut quouis modo à fide Catholica aberrantes, aut qui verba hæreticalia protulerint, aut Hæreticorum scripta, librosque legant, aut apud se habeant, quos nulla mora interposita Nobis, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus denuncient.

10 Videant num Cingari vagum, ac fallax hominum genus, in omni vita se gerant, vt Christianos decet, aut aliquid agant cōtra Ecclesiæ mores, & instituta, aut nouis ritibus vtantur.

CAP. III.

De Verbi Dei Predicatione.

11 HOc prædicationis officium ita Parochorum præcipuum est, vt non immeritò eadem sacrosancta Tridentina Synodus sæpe eos ad id muneris exequẽdum hortetur, illudque adimplere contemnentes, districtè subijciant vltioni. Illius igitur decretis inhęrendo præcipimus, vt quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum breuitate, ac facilitate Sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriã consequi valeant. Id verò si quis eorum præstare negligat, sciat se pœnas ab eadem Sancta Synodo constitutas, quacumque exemptione cessante, omnino subiturum.

Sess. 5. c. 2. & Sess. 24. cap. 4.

12 Cæteri verò adhoc idem munus obeundum ij mittendi, ac deligendi sunt, quorum sonus in omnem terram exeat, & quorũ speciosi sint pedes, vt potè euangelizãtiũ pacẽ, euãgelizãtiũ bona; ne qui præceptis, & hortatu ædificant, vita, & moribus destruãt, & cum alijs prędicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Quo circa singillatim cuiuscumque status homines instruant, præcipua virtutum officia demonstrẽt, paterna charitate à vitijs deterreant; & ad virtutes accendant: à subtilibus, & inutilibus quęstionibus penitùs abstineant, quę magis ad docentium cathedras, quam ad suggestum spectant: quod sanè officium, si graui oratione, & ab omni artificij suspicione aliena tractabunt, maiorem inde fructum, iuuante Domino, pollicemur; nec id minus in publicis sermonibus, quam in priuatis colloquijs implere studeant, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia, & doctrina.

D. sess. 24. cap. 7.

2. ad Timoth. 4.

13 Igitur Concionatores omnes, siuè sęculares sint, siue Regulares, qui in Ecclesijs non suorum ordinum sunt prędicaturi, antequam prędicationis officium ineant, Nobis se sistant; & examini se subijciant: per

nostros

nostros autem Examinatores studiosè quęratur, an tropologicos, ac morales sacræ scripturę sensus, ac pręsertim litteralem internoscant; an teneant doctrinam de peccato originali, de iustificatione, de Sacramentis, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum; an parabolas rectè explicent; an benè pronuncient, dilucidè, distinctèq. Regulares verò in Ecclesijs suorum Ordinum prędicaturi seruabunt formam infra pręscribendam. par. 4. c. 4.

14 In ipsa verò prædicatione sanam doctrinam inducant, nè fabulas perperam congerant, & prurientium aurium oblectamenta, sed vehementes sint in peccatis omnibus exagitandis, atque ijs in primis, quibus maximè teneri, vel ad quæ procliuiorem populum senserint.

15 Ne quempiam cum Auditorum offensione asperius obiurgent, sed omnes piè moneant: Populumque doceant Præpositis suis obedire, & ex Apostoli sententia obsecrationes obire, Orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui sunt in sublimitate constituti, præsertim pro ijs, qui peruigilant quasi rationem pro animabus reddituri. p. ad Timoth. 2.

In-

16 Inter concionandum Missæ sacrificium in Ecclesia non peragatur. Loca virorum, & mulierum, quantum fieri potest, tabulato, vel saltem tela interiecta distinguantur, & sub pœna interdicti districtè prohibemus, ne ante solis ortum, nec post eius occasum vllo vmquam tempore sacra concio habeatur.

17 Curent omnes, vt quod veteris instituti est, inter Missarum solemnia concionis munus præstetur immediatè post Euangelium; nisi pro mortuis sermo fiat, qui peracta Missa pronunciandus est.

18 Indulgentias non publicent, nisi ab officio Sanctissimæ Cruciatæ sint recognitæ, ipsamque Cruciatę Bullam populis annunciabunt iuxtà præscriptam à Nobis formam.

19 Vniuersitates autem, & Populi non detrectent subministrare victum, aut solitam eleemosynam elargiri, nec claudant os boui trituranti: dignus est enim operarius mercede sua.

1. ad Corinth. 9. & Luca 10.

20 Rectores verò quarumcumq; Ecclesiarum à nullo sæculari, siuè Regulari in suis Ecclesijs concionem haberi patiantur, qui prius facultatem à Nobis obtentam, sigillo,

lo, & subscriptionibus solitis munitam non exhibuerit. Rectores qui id neglexerint, intelligant se officij priuatione, & annuo carcere negligentiæ pœnas daturos.

CAP. IV.

De Editione, & Vsu Librorum.

21 QVoniam ad fidem Catholicam tuendam, eamque conseruandam plurimum interest, vt modus, ac regula in librorum impressione, editione, atque vsu ponatur, eiusdem Sacrosanctæ Synodi sanctiones, regulasque hac in re confectas per Patres ab eadem Sancta Synodo delectos, & auctoritate Summ. Pontificum Pij IV. Sixti V. ac Clementis VIII. probatas, amplectentes, has quæ sequuntur præsenti constitutione decernimus obseruandas. *sess 4.*

22 Nullus igitur in posterum liber excudatur, aut vendatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat auctoris. Quod si de auctore non constet, aut iustam aliquam ob causam liber edi posse Nobis videatur, nomen illius omni-

no

no describatur, qui librum iussu nostro examinauerit, atque approbauerit.

23 Bibliopolæ, & quicumque alij, qui libros venales habent, in hac Vrbe, vel alibi impressos, & in eamdem denuò inuectos, eos nullo modo exponant, nisi confecto ipsorum librorum indice, facultatem inscriptis à Nobis habeant, nec vllos vendant illo indice non adnotatos.

24 Impressores autem nullo modo imprimant, aut imprimere faciant libros, aut quamlibet aliam scripturam, ac etiam verba notis musicis apposita, absque nostro examine, probatione, ac licentia, scripto gratis danda; quam in fronte libri iisdem prorsus verbis apponant. Quod si auctores Regulares fuerint, vltra examen, ac licentiam prædictam, licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneatur: vtramque verò ad principium operis imprimi faciant. Postquam autem liber impressus erit, nullo pacto vendi, aut publicari possit, antequam à Nobis, vel ab alio, à Nobis deputato, publicandi facultas scripto obtineatur.

Triden. D. sess. 4.

25 Nemo etiam imprimat, nec alibi impressa vendat opuscula quædam, quę histo-

rię

rię vulgo nuncupantur, aut quoſuis alios cuiuſuis generis libellos, qui non ſint recogniti ſtudio, & authoritate certorum hominum, quibus eam curam demandabimus.

26 Theoremata, quę ad diſputandum proponi ſolent, nè in poſterum imprimantur, quin à Nobis, vel ab eo, quem huic rei præfecerimus, recognoſcantur.

27 Qui verò in omnibus, vel aliquo prędictorum contrauerit, ſciat ſe librorum amiſſione, alijſque pœnis arbitrio noſtro inferendis fore plectendum.

28 Quoniam verò libri, qui res laſciuas, ſeu obſcœnas exprofeſſo tractant, narrant, aut docent, non ſolum fidei, ſed & moribus, qui huiuſmodi librorum lectione facile corrumpi ſolent, plurimum officiunt, eos imprimi, aut vendi ſpecialiter prohibemus. Antiqui vero, ab Ethnicis conſcripti, propter ſermonis elegantiam permittuntur: nulla tamen ratione pueris prędlegendi erunt.

29 Quia verò ad eiuſdem fidei conſeruationē non ſatis eſt, vt libri eiuſcemodi non edantur; ſed valdè etiam intereſt, vt qui ex editis damnatę ſunt lectionis, à nemine

legantur, aut retineantur: libros illos, qui hæreticæ prauitatis Inquisitorum edicto, ac indice sunt vetiti, legendos, ac retinendos esse prohibemus.

30 Item mandamus, ne quis audeat in posterum imprimere, legere, vel quomodocumque apud se retinere translationes Sacrosancti Concilij Tridentini quouis idiomate factas, aut impressas absque speciali authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, iuxtà decretum Sacræ Congregationis Indicis (datum Romæ 15. Nouembris 1629. executum in Regno die 20. Iunij 1630.) sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

CAP. V.

De Infidelibus euitandis.

31 VT infidelibus deprauandi Christianorum mores, occasionem adimamus, probatam consuetudinem, vt semper patens aliquid signum deferant, nimirum vt facilius à cæteris dignoscantur, retinendam esse præcipimus.

32 Caueant igitur Christiani, ne simul habitent

bitent cum infidelibus, nec ad eorum conuiuia accedant, nec eos ad sua inuitet. Ab eis medicinas non recipiant, aut illos ad morbos curandos accersant; nec denique cum illis commune quidquam habeant, sed quantum fieri potest in omnibus eorum commercio, conuictuque abstineant. *Cap. nuls. cap. omnes 28 q.1.*

33 Fidelis Infideli carnali consortio non misceatur, & quicumque tantum nefas admiserit, nouerit se à communione Ecclesiæ protinus segregandum, & alijs pœnis iussu nostro seuere puniendum. *Cap. siquis 2.28 q.1.*

34 Res sacræ, Calices, Cruces, Sanctorum, aut Agni benedicti, Imagines thecis inclusæ, nè infidelibus vllo modo loco pignoris ad vsuras percipiendas tradantur.

35 Quamuis autem ad concionem, non solum admittendi, sed inuitandi etiam sint Infideles, vt aliquod diuini verbi semen excipiant; certè Sancto Missę Sacrificio interesse nullo modo debent; ne sua temeritate, ac perfidia piorum deuotionem perturbent, sed extra Ecclesiam omninò per eos, ad quos spectat, eijciantur.

CAP. VI.

De Blasphemantium Pœnis.

Leuit.24.
Auth. ut non luxurientur.

36 AD abolendum nefarium, & execrabile Blasphemiæ scelus, quod in lege veteri Deus capite punitum voluit, & Imperialibus postmodum legibus iisdem pœnis vetitum est, Summ. Pontificum Leon X. ac Pij V. & Sacrorum Canonum statuta sectantes, decernimus, vt quicumque Laicus, siuè Clericus Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum, & Gloriosam Virginē Mariam eius Genitricem blasphemauerit, nec non Sanctis maledixerit, aut verbis contumeliosis affecerit, & Dæmonem Sanctum appellauerit, pœnas ad nostrum arbitrium pendat pro qualitate blasphemiæ.

37 Qui autem huiusmodi impios homines blasphemantes audierint, monemus, vt, si id liceat, asperiùs obiurgent, sin autem, ad Archiepiscopalem Curiam deferant: sciantque denunciantes, Indulgentiam decem annorum ex concessione Leonis X. in Conc. Later. consecuturos.

CAP.

CAP. VII.

De Maleficiis, ac Sacris eorum Exorcismis.

38 QVantum in fide Catholica tuenda laboris ponendum est, tantum in superstitionibus, ac maleficijs euellendis, curæ, ac diligentiæ est impendendum; id verò satis commodè fiet, si immanis, atrox, ac detestabilis maleficiorum vsus seuerè puniatur, ac tandem intelligant vniuersi, nec à malefico ad maleficium parato licitum esse petere, vt per maleficium, aliud maleficium dissoluat.

39 Districtè etiam præcipimus omnibus, ac præsertim mulierculis, nè orationes infirmis applicent non approbatas ab Ecclesia, vel à Nobis: approbatas verò nonnisi intelligibili voce sub pœnis nostro arbitratu infligendis.

40 Parochi, eorumque ministri, nec non, & regularium domorum Præpositi, ac Superiores omnibus modis elaborare studeant, vt perniciosas mulierculas, siuè etiā viros ex proprijs Parochijs eradicent, & extemplo Nobis renuncient, vt in eos perpetua reclusione, aut seuerioribus

bus etiam pœnis animaduertamus.

41 Excommunicationis igitur ſententiam proferimus in Veneficos omnes, Maleficos, Incantatores, Striges, Dæmonum familiaritate vtentes, ligaturis, characteribus, magicis artibus, & deceptionibus amatorijs incumbentes, & in eos etiam Sacerdotes, qui ſacra ſcriptura, ſacris vaſis, & veſtibus, ad huiuſmodi nefarium vſum abutuntur.

42 Sacerdos, aut Clericus exorciſta, vexatos à Dæmone exorcizaturus, memor inprimis eſto verborum Chriſti Domini; nimirum genus aliquod Dæmoniorum non eijci, niſi in oratione, & ieiunio. Nè facili credat quemquam obſeſſum, ſed nota ex probatis authoribus habeat ſigna; Energumeni vitam, ac mores perquirat, tum exploret actiones, & Medicum, ſi expedire cenſuerit, conſulat; aduertat plurimum artes, ac deceptiones, quibus vtitur Dęmon ad exorciſtam decipiendum; exorciſmos obeat cum imperio, magna tamen fide, & humilitate: caueat autem ne vllam medicinam obſeſſo ſuadeat, ſed eam curam Medicis relinquat.

Marc. 9

43 Peculiaribus exorciſmi formulis nequaquam

quam vtatur, nec verbis nouis, inſolitis, aut ſecretis, ſed ſacræ ſcripturæ, ac exorciſmis Eccleſiaſticis, quibus vtitur Sancta Mater Eccleſia in Rituali Romano. In Eccleſia, & in qua ſit Sanctiſſimum Sacramentum, non in priuatis ædibus exorcizet; niſi tamen obſeſſus ægrotet, aut ſit perſona nobilis, idque obtenta à Nobis venia: non inconſpectu multitudinis, præſentibus tamen viris honeſtis, & quidem cognatione proximis ei, qui exorcizatur, præſertim ſi ſit fœmina: & in omnibus Ritualis Romani monita cuſtodiat.

44 Caueat nè vllus intercedat quæſtus, aut vlla curioſa percunctatio, præſertim, quæ ad diuinationem pertineat. In exorciſmis denique vtatur ſuperpelliceo, ac ſtolà violacea, ſeruetque Rituale Sanctiſſimi Domini Pauli PP. V. neque id muneris quiſquam ſibi vendicare præſumat abſque Noſtra facultate litteris exarata.

CAP. VIII.

Ritus ab Italo-Græcis obſeruandi. Italo-græci

45 GRæci, vel Albanenſes ritu græco viuentes, qui in hac Vrbe, & Diœceſi

ſi degunt, nè à Fide Catholica aberrent, in ijs, quæ ad Dei cultum, & Sacramentorum adminiſtrationem attinent, aliquid de præſcripta hic ratione nullatenus immutent: nimirum, vt Sacris Concilijs Nicæno Primo, & Secundo Conſtantinopolitano, Epheſino, Florentino ſub Eugenio IV. ac Tridentino: nec non, & conſtitutionibus Summ. Pont. Pij IV. Pij V. Gregor. XIII. ac nouiſſimè Clem. VIII. conformes reddantur, excuſæ de mãdato eiuſdem Sanct. ann. 1597. ten. ſeq.

Circa Sacramentum Baptiſmi.

46 PResbyteri Græci baptizatos chriſmate in fronte non conſignent, & ideo ab ipsis in ordine baptiſmi apud eorum euchologium prætermittantur, quæ ſequuntur poſt illa verba καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν &c. vſque ibi εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου hoc eſt, & poſt orationem, &c. (vbi habetur forma huius conſignationis) vſque ad verba, poſtea facit Sacerdos figuram circuli, &c.



Circa Sacramentum Confirmationis.

47 EPiſcopi latini infantes, ſeu alios baptizatos à Presbyteris Græcis de facto chriſmate in fronte conſignatos, confirment, & tutius videtur, vt cum cautela, & ſub conditione id faciant (vid. ſi es cõfirmatus ego te non confirmo, ſed ſi non es confirmatus ego conſigno te ſigno Crucis ✠, & confirmo te chriſmate ſalutis ✠ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti) præſertim verò cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati.

Circa Sacramentum Euchariſtiæ.

48 SAnctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod pro infirmis aſſeruatur, ſingulis octo diebus, aut ſaltem quindecim renouetur.

Non aſſeruetur idem Sacramentum toto anno: si tamen aſſeruatum fuerit, ſaltem in fine anni ſumatur.

Tollatur abuſus tundendi, vel etiam

miſcendi ſacro oleo, ac iterum coquendi, vel aliàs exiccandi ſpecies Sacramènti Sacræ Euchariſtiæ Fer. V. Cœnæ Domini, vt deinde illud aſſeruent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Epiſcopis latinis conſecrata benè erit; ſin minus, tolerentur eorum throni, ſiuè thioni ſuper altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Corporalia, vti latini, habeant, niſi thionis etiam pro corporalibus vtantur.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ.

49 IN Caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſoluere. Vtantur forma abſolutionis in Generali Concil. Florent. præſcripta, & poſtea ſi voluerint, dicant Orationem illam deprecatiuam, quam pro forma huiuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueuerunt.

Tollendus abuſus, vbi eſt, vt vir, atque vxor ſimul, & eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die menſis benedicta conſeruetur in Eccleſia, vt illa fideles aſpergãtur.

Circa

Circa Oleum Sanctum Cathecumenorum, & Infirmorum.

50 NOn ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta, preter chriſma ab Epiſcopis latinis Diœceſanis accipere, cum huiuſmodi olea ab eis in ipſa oleorũ, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo etiam iuxtà eorum ritum benedici poteſt, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Epiſcopis Græcis externis ſchiſmaticis, ſeu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo vti.

Circa Sacramentum Ordinis.

51 ORdinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, alias ritè ordinatis, ſeruata debita forma, recipiunt quidem ordinem, ſed non executionem.

Proinde ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, correcti, vel emẽdati, recõciliãdi sũt & abſoluẽdi cũ pœnitẽtijs ſalutaribus, dũmodo errores, vel ſaltẽ ſchiſma ordinatoris

abiurent in iudicio, vel publicè, vel secretò pro qualitate facti. In Ordinibus autem per eos aliàs ritè susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate huiusmodi occasione cõtracta, authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi schismatici, siue pro Ordinibus, siue pro alijs Sacramentis conferendis, sed detinẽdi, quoad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, & responsum habeatur.

Græci sine litteris dimissorijs Episcopi latini Diœcesani ad sacros ordines promoti, suspensi sunt, & si suspensi suis ordinibus ministrauerint, efficiuntur irregulares, sicut & latini.

Super huiusmodi autem, & similibus irregularitatibus dispensandi facultatem à Sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in Baptismo Chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare saltem sub conditione videlicet, Nisi es confirmatus, &c.

Presbyteri vidui, seu vxoribus orbati, habi-

habitum deferant diuersum ab alijs.

Circa Sacramentum Matrimonii.

52 CVrent Ordinarij locorum, vt decretum Sacri Generalis Concilij Tridentini de reformatione matrimonij vertatur in linguam græcam vulgarem, & in locis, & Parochijs Græcorum Albanensium euulgetur, & publicetur.

Matrimonia inter coniuges Græcos dirimi, seu diuortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si quæ de facto præcesserunt, nulla, & irrita declarent.

Maritus Latinus, vxoris Græcę ritum non sequatur.

Latina vxor, non sequatur ritum mariti Græci.

Græca verò vxor sequitur ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi præualuerit mater Latina.

Presbyter Græcus coniugatus ante Sa-

crum

crum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab vxore.

Circa Alia Dogmata.

53 GRæci credere tenentur, etiam à Filio Spiritum Sanctum procedere, sed non tenentur id pronunciare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oportet etiam pronunciare.

Numquam Monachis Græcis, seu Calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta caussa.

Presbyteri sæculares Græci, abiurato schismate, & erroribus, atque in fide Catholica bene instructi, in parochialibus, seu curatis Ecclesijs Græcorum institui possunt.

Tolerandus est apud Græcos vsus carnium die sabbati, vbi sine scandalo fieri potest; in locis tamen ipsorum, & inter eos tantum.

Item tolerandum est, vt ad ieiunium eodem die sabbati in Quadragesima, ex-

cepto

cepto vno Sabbato ſancto, ex antiqua traditione non teneantur, ſed dumtaxat ad abſtinentiam.

In ieiunijs biduanis, vel triduanis, vel alijs à Diœceſanis, vel in Iubilæis à Summo Romano Pontifice indictis, dies ſabbati in eis comprehenſus, vel præſcriptus, in alium diem pro plebibus Græcis ab ipsis Diœceſanis Apoſtolica authoritate Sãctiſſimi D. N. D. Clementis diuina prouidentia PP. VIII. permittitur commutari.

Si ipsi Græci ad obſeruationem ieiuniorum, & vigiliarum Latinæ Ecclesiæ induci poſſent, optimum eſſet, ſed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & ſexta ieiunent.

Græci exiſtentes inter Latinos, dies feſtos de præcepto eiuſdem Latinæ Ecclesiæ ſeruare teneantur.

Inſuper idem Sanctiſſimus Dominus noſter conſtituit Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adiacentium ſubiectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſorijs, ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

CAP.

CAP. IX.

De Ludi Magistris.

54 AD fidem etiam Catholicam edocendam, atque ab errorum incursibus defendendam, maximè spectat, pueros optimis disciplinis, ac salutaribus monitis imbuere: cum enim illorum ætas à mundi huius oblectamentis tamquam lethali veneno sensim inficiatur; id paulatim in vniuersæ reipublicæ corpus serpere non rarò cum Fidei discrimine compertum est. Cui sanè malo occurrere volentes, atque vt rectè ij à teneris annis piè, religiosèque informentur, ac per optimos Præceptores instituantur; decernimus, ac mãdamus, nè quispiam ad quosuisquibuslibet artibus, aut doctrinis imbuẽdos, & edocẽdos publica, vel priuata gymnasia audeat deinceps aperire, nisi prius à Nobis, vel nostro Vicar. Gener. præuio examine, fuerit approbatus, & emissa fidei professione, in scriptis facultatem obtinuerit, sub pœnis nostro arbitratu irrogandis.

55 Omnes igitur ludi magistri id sibi sedulò

dulò præstandum in primis suadeant, vt discipulos de Fidei rudimentis, & præcipuis nostræ Religionis mysterijs probè instruant; quod faciliùs assequentur, si libellum Doctrinæ Christianæ à Cardinale Bellarmino elucubratum, eorum memoriæ mandandum, ac sæpius recitandum curent.

56 Inuigilent præterea, vt singulis saltem quibusque mensibus, præmissa sacramentali Confessione, Sanctissimæ Eucharistiæ pabulo reficiantur; prauas Consuetudines, & malorum commercia declinent; Conciones, piasque Congregationes frequentent.

57 Eos tantummodo libros pueris explanent, ijsdemque euoluendos permittant, qui pietatem redolent, & bonis moribus non opponuntur; ijs penitus ablegatis, qui res obscœnas, vel amatorias continẽt, aut ab Ecclesia quoquomodo prohibẽtur. Hæc, si ludi magistri nõ obseruent, pœnas nostro arbitrio dabunt.





PARS SECVNDA DE SACRAMENTIS.





Iacob.2. CVM certissimum sit, non per solam fidem, quæ sine operibus mortua est, homines à Deo iustificationis gratiam adipisci, sed *Trid.sess.7 can.4.* etiam Sacramenta nouæ legis esse ad salutem necessaria, licet non omnia singulis; operę pretium duximus tractationi de Fide hanc annectere de Sacramentis.



CAP. I.

CAP. I.

De Sacramentis in genere.

1 FIde Catholica firmiter tenendum est, in noua lege à Christo Domino fuisse instituta septem vera Sacramenta, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; Quæ quidem omnia verè conferunt, vt caussa instrumentalis, gratiam iustificantem homines, obicem non ponentes; idest vel primam, vel illius augmentum. Ijsdemque homo in spirituali vita ad instar corporalis perficitur: Baptismo enim Christo renascitur: Confirmatione roboratur: alitur Sanctissima Eucharistia: Pœnitentia sanatur, si forte in morbum incidit peccatorum: Extrema Vnctione imbecillitas virium reficitur, & morbi, idest peccati reliquiæ expelluntur: Ordine alijs præficitur: Matrimonio hominum multitudo, proindèque Ecclesiæ congregatio conseruatur.

2 Eorum Tria characterem imprimunt,

Trid. sess. 7 can. 9. ac proindè reiterari non possunt. idest Baptismus, Confirmatiò, Ordo: reliqua quatuor, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, & Matrimonium, iuxtà Sacros Canones, & Sancti Concilij Tridentini decreta, reiterari possunt.

Idem can. 13. 3 Ritus ab Ecclesia consueti in eorum solemni celebratione adhiberi, absq; graui culpa omitti non possunt, nisi necessitas cogat: quamuis absque illis Sacramentum validum sit. Seruetur verò in eorum administratione Rituale Romanum.

4 Materia Sacramentorum, quæ Elemẽtũ nũcupari solet, secũdũ substãtiã mutari nõ põt: codẽq; modo nec eorũ forma secundũ sẽsũ à Christo Domino intẽtũ, quę dicitur verbum: Vndè est illud D. Augustini satis vulgatum: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

5 Eorum Minister distinctus à suscipiente esse debet: præter quam in Matrimonio, qui sunt ijdem coniuges contrahentes, ac in Eucharistia cum eam sibimet Sacerdos administrat. Eius intentio in illis administrandis actualis (quæ quoad fieri potest procuranda erit) vel saltem virtualis necessaria est ad Sacramenti valorem: cul-

pa

pa verò mortali irretitus, conficit, licet ſacrilegè, Sacramentum. Gratis autem omnia prorſus Sacramenta adminiſtrari debere præſenti conſtitutione decernimus.

6 Nullus verò Sacerdos ad Sacroſancta Sacramẽta fidelibus populis adminiſtrãda admitti vnquam poſſit, niſi præuio examine fuerit à Nobis approbatus, eamque facultatem litteris conſignatam exhibuerit; ſecus ipſe Sacerdos Ordinum executione ſit ſuſpenſus, & qui illum admiſerit, noſtro arbitrio punietur.

7 Cæterum meminerint Parochi, eorumque Cappellani diligentes eſſe debere, & faciles ad miniſtranda populis Sacramenta, benedictiones, aliaque ſpiritualia iuxtà eorum munus; alioquin vltra pœnas à Nobis infligendas, Parochi huius Vrbis incurrent illas etiam in foro conſcientiæ, quas fel. record. Clemens PP. VIII. in Bulla ſuper reformatione Parochiarum comminatur; quam, vt præmanibus ſemper habeant neceſſe eſt.

8 Ad Sacramenta recipienda quiſque depoſitis armis accedat; omnique religionis ſtudio, ac reuerentia illa ſuſcipiat.

CAP.

CAP. II.

De Baptismo.

9 BAptismus Sacramentum nouæ legis à Christo Domino ante ipsius passionem institutum in animarum regenerationem, & lauacrum, ad salutem necessarius est, vel in re, vel in voto, vt veritas testatur, dicens, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Ioan. 3.

10 Varijs nominibus eius virtus à Sacris Concilijs, & Sanctis Patribus explicatur: ac in primis ianua Sacramentorum nuncupatur, Fidei Sacramentum, Principium Sanctissimorum mandatorum, Illuminatio, Expurgatio, Lauacrum regenerationis, Circumcisio non manu facta, Vnctio, Indumentum, Sigillum: Varijsque figuris, ac prophetijs in sacris litteris præfiguratus est.

Quo autem maior, & vberior est huius Sacramenti effectus, eo diligentiùs cum maxima animi pietate, ac veneratione ministrandum erit.

Ac

11 Ac primo quidem Aqua, quæ huius Sacramenti remota materia est, pura, naturalis, & elementaris esse debet, nulli admixta liquori, & quæ alterius aquæ artificialis admistionem non habeat: sit autem Sabbato Sancto, vel sabbato ante festum Pentecostes consecrata, infrà annum, si opus fuerit, renouanda, quæ asseruetur in fonte baptismali marmoreo, loco idoneo posito, ac decoro tegumẽto cooperto, claui obserato, & quidem in eam formam extructo, vt nè aqua ex Infantis capite in fontem defluat. Quod si id alicui Parochię incommodum fuerit, curandum omnino, vt in aliquo vase, adhunc vsum parato, recipiatur, & in sacrarium effundatur, quod prope fontem constituendum est. Adsit item Cochlear pro infundenda aqua: lintea quoque ad capita tergenda, & locus ad reponenda sacra olea, ac sal benedictum: necessitatis verò tempore aqua non benedicta adhiberi potest. in ablutione quisque suæ Ecclesiæ vsum seruare debet.

12 Forma huius Sacramenti sunt illa verba, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen, quæ debent

bent diſtinctè, & clarè pronunciari, ac ſimul cum ablutione proferri: & quamuis verba illa, Ego, & Amen, ad ſacramenti valorem non requirantur; omitti tamen nullatenus debent.

13 Legitimus Miniſter eſt Parochus ipſe, vel alius Sacerdos, cui ille, aut Nos nominatim eam facultatem concesserimus. ac in baptiſmo neceſſitatis erit quilibet, dũmodo Sacerdos Diacono Diaconus, Subdiacono præferatur, & hic Clerico, Clericus Laico, vir fœminæ, niſi pudoris gratia magis deceret eſſe fœminam, quam marem, quando nimirum proles non eſt edita.

14 Porrò Sacerdos in Eccleſia Baptizans facie verſa ad Sanctiſſimnm Sacramẽtum id præſtabit.

15 Obſtetrices non admittantur, niſi quæ examine præmiſſo facultatem ſcriptam obtinuerint, ac baptizandi formam optimè calleant; eaque facultas nullatenus cõcedatur, quin prius iureiurando ſe obſtrinxerint, gratis ſe inopes mulierculas in partu adiuturas.

16 Ritus verò, & cęremoniæ non adhibeãtur, niſi quæ iubentur in Rituali Romano

edito

edito iussu Sanctissimi D. N. Pauli PP. V. tam circa Paruulos, quàm circa Adultos: qui nonnisi sufficientèr in fide instructi, ac de nostra licentia baptizentur.

17 Natum infantem, ij quorum ea est cura, ante tertium diem ad Ecclesiam deferant baptizandum, nisi necessitas id in priuatis ædibus fieri aliquãdo cogat: quod si neglexerint, excommunicationis gladio feriantur: atque in eo necessitatis casu baptismus in libro baptizatorum à Parocho describatur, notato Patrini nomine, tum eius, qui domi ante baptismum, tum eius qui in Ecclesia ad Catechismum; exorcismumque adhibitus est. Et quidem si Infans superuixerit, vt solemnes baptismi ritus, & cæremoniæ adhibeantur, infra nonum diem, vel quamprimum per valetudinem licuerit, in Ecclesia sistatur; quod si de eius baptismo dubitetur, sub conditione baptizetur.

18 Infidelium filij paruuli, si morti sint proximi, etiam inuitis parentibus, baptizentur: à quorum cura si superuixerint abstrahendi sunt, cum ad vsum rationis peruenerint. Si verò parentes serui sint Christianorum, adhuc cessante mortis pe-

 riculo,

riculo, illis etiam renuentibus, baptizandi erunt, atque ab eorum cura, vt suprà, abstrahendi: Idem seruari debet, si filij Infidelium, rationis compotes baptizari vellēt, vel si alteruter parēs in id cōsentiat.

Conc. Tol. 4. c 61. cap. Iudæi 28 quæst. 1.

19 Adultus, qui numquam vsum rationis habuit, sicuti puer, etiam renuens baptizandus erit: secus, si aliquando rationis compos extitit, nisi ante amentiam intentionem habuerit baptismatis suscipiendi; & mortis periculum immineat, idemque in dormiente obseruandum est.

20 Fidelium infantes, etiam à Fide Apostatarum inuitis quoque parentibus, baptizentur.

21 Quoniam autem vsum, seu potius corruptelam paucis ab hinc annis irrepsisse comperimus, vt infantes in aulis, & alijs locis priuatis baptizarentur; districtè prohibemus iuxtà decretum Clementis VII. nè quis de cætero in aulis, aut alijs priuatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, audeat baptizare; nisi talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi: q͏ᵹ etiá cōprobauit Rituale

Clem. unic. de Baptis. in Concil. Vienensi.

Rom.

Rom. Sum. Pōtificū Pauli V. & Vrbani VIII. auctoritate suffultum, & nos peculiari Edicto vetuimus. Id enim per eamdem Apostolicā sanctionem indulgetur Regibus, & magnis Principibus, quorum filijs in hoc casu defertur, ijsdem deposcentibus. In quo etiam summa Catholici Regis nostri (quem Deus sospitet ad multos annos) religio maximè elucet, qui proprios filios ad Ecclesiam deferri, ibique sacro fonte ablui pro sua pietate non renuit. Qui secus facere præsumpserit, præter quam pœnas nostro arbitratu infligendas dabit, excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrat: quam etiam subeant Patres familias, & quicumque id in proprijs domibus præstari permiserint.

22 Plures duobus susceptores non sinat Parochus adhiberi virum, & mulierem, qui de cognatione edoceantur, ac sciant se teneri, eos, quos suscipiunt, fidei rudimentis informare, ad quod officij genus nec decet non confirmatos adhiberi, & Monachis, ac Regularibus interdicitur.

Trid. sess. 24 cap. 2. de reform.

Cap. licet et c. monachi de consecr. dist. 4.

23 Antequam baptizet, diligenter inquirat num fuerint per obstetricem conuenienti forma baptizati: alioquin iterum

Ritu Rom. de bapt tit. de patrinis

in Ecclesia Parochus sub conditione baptizet. Parentes autem curent, ne per annum cum Nutricibus cubent, ob periculum suffocationis euitandum.

24 In ipso baptismi ministerio Infidelem quempiam adesse Parochus non patiatur, nec ethnicorum nomina imponat, aut ea, quæ turpia, & ridicula sunt, sed Sanctorum, ac Beatorum, quos imitari, ac deprecari potissimum studeant.

25 Linteola, quibus baptizati caput abstergitur, vel benè purgata in sacrum vsum conuertantur, vel certè comburãtur, laicis nullo modo tradantur; à quibus caueat Parochus, nè sacrum Chrisma attingatur. Sacra olea in vasis argenteis seiunctim asseruentur, vetera comburantur, noua non aliundè, quàm à Matrice Ecclesia petantur.

26 Infans expositus, licet affixum scriptum secum habeat, nisi, re perquisita, omnis dubitatio tollatur, ea formula baptizetur, quæ in baptismo sub conditione adhiberi solet.


27 Si verò fuerint plures baptizandi, siuè masculi, siuè fœminæ, aut certè monstrum, quod humanam speciem non præ-

sese-

ſeſerat, ea omnia prorſus obſeruentur, quæ à Rituali Romano de Sacramento Baptiſmi ritè adminiſtrando præcipiuntur.

28 Parochus baptizatorum nomina, Parentum, ac ſuſceptorum; diem item, & annum, certum in librum referat, ac diligenter apud ſe cuſtodiat. Meminerit autem præcipuè verborum Chriſti Domini: Gratis accepiſtis, gratis date; quamobrem abuſus, qui in aliquibus locis Diœceſis irrepſit, vt pro adminiſtratione huius Sacramenti aliquid exigatur, prorſus tollatur, & Sacerdos, qui id fecerit, continuò ſe ab Ordinum executione ſuſpenſum intelligat. *Seſſ. 24. c. 2 de reform. matr.* *Matth. 10. 8.*

29 Puerpera poſt partum, cum primùm domo egredi poteſt, iuxtà piam, ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam Parochialem, & nullo modo ad Eccleſias Regularium ſub pœna interdicti ſe conferat; pro ſua incolumitate Deo gratias actura, ac Sacerdotis benedictionem, iuxtà Ritualis Romani formam, receptura. *Rit. Rom. tit. de bene dict. mul. poſt part.*



CAP.

CAP. III.

De Confirmatione.

30 CONfirmationis Sacramentum, ſecundum poſt baptiſma à Chriſto Domino inſtitutum; percepta priùs in fonte Baptiſmatis plenitudine ad innocentiam, augmentum præſtat ad gratiam, & qui in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum cōfirmamur ad pugnam, illoque abluti, hoc Sacramento roboramur; vt propterea illius perfectio, & plenitudo hominis Chriſtiani à Patribus appelletur: quanto autem religionis ſtudio ſit à fidelibus ſuſcipiendum, Parochi, & Concionatores Populum edoceant.

Catb. Rom de confir.

31 Materia huius Sacramenti eſt Chriſma ex oleo oliuarum, & Balſamo confectum, ab Epiſcopo conſecratum, qui ſolus huius Sacramenti miniſter eſt. Forma verò in Pontificali Romano præſcribitur.

32 Deceret plurimum, vt ieiuni ad confirmationem venirent, ac monerentur cōfeſſione, vel ſaltem contrictione, peccata eſſe abluenda prius, vt mundi, donum

Conc Flor & 32. Cathec. Rom.

Sancti Spiritus vberiùs accipiant.

33 Sacramentum Confirmationis ijs non præbeatur, qui annis septem minores nati sunt, nisi ob iustam, ac necessariam caussam; nec tamen longius immorandum, sed simul, ac rationis vsus effulsit. Patrinus vnus dumtaxat adhibeatur, isque iam confirmatus, mas mari, fœmina fœminæ, nisi necessitas vrgeat; & quod veteris ritus est, primum mares, tum fœminæ, nisi aliter Nobis visum fuerit: docendi verò sunt de spiritali cognatione, quam contrahunt.

34 Qui turpe, aut ridiculum nomen habet, illud immutet, ac resumat in Confirmatione nomen alicuius, qui sit in Sanctorum numerum relatus.

35 Confirmati frons sacro oleo illita, primum à Sacerdote bambacio abstergatur, tùm à Clerico in sacris constituto, si commodè fieri potest, aqua lauetur; quæ in Sacrarium effundatur: bambacium item comburatur, & cineres in sacrarium mittantur.

36 Quo die Sacramentum hoc ministratur, ea in Ecclesia, licet Regularium, Parochi nè desint, qui accuratè distinctèque

confirmatorum suæ parœciæ, nec non, & patrinorum nomina in proprium librum referant, eosque primum moneant, vt singuli nomen suum describendum curent.

CAP. IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

37 AVgustissimo hoc Eucharistiæ Sacramento, quod non solum gratiam, sed ipsiusmet gratiæ auctorem, ac fontem continet; Christianus homo in spiritali vita alitur, ac reficitur: Vnigenitus enim Dei Filius, opus gratiæ, quod per regenerationis lauacrum in nobis incohat, & per Confirmationem perficit; per se ipsum conseruat, souet, & vsque ad perfectionem hoc admirabili cibo perducit: discessurus enim ex hoc mundo ad Patrem in vltima Cœna Sacramentum hoc instituit ad alimentum, & refectionem spiritualem animarum, & vt esset Sacratissimæ suæ Passionis memoriale, suique Amoris argumentum, æternæ vitæ pignus, Sacrificium Christianæ Religionis, ac pacis, & chari-

Luc. 12.

Trid. sess. 13. c. 6.

tatis

catis Sacramentum. Quapropter piè, & religiosè inductum est, vt illud in Ecclesijs singulari veneratione asseruetur, vbi, & à fidelibus colatur, & indè etiam ad infirmos deferatur.

38 Tabernaculum igitur, in quo asseruatur, sit ligneum, vel marmoreum, aut quauis alia nobiliori materia, conopæo decenti deforis contectum, intrinsecus panno serico albo, vel aurato vndique circumuestitum, claue aurata præterea obseratum, quam solùs Sacerdos apud se retineat: atque ita apratum, vt indè sacra vasa commodè depromi possint, neque ob id super altare ascendere opus sit. Vacuum præterea sit à reliquijs, & vasculis Sanctorum oleorum, & ab alio quocumque vase: illius pauimentum corporali mundo sternatur.

39 Parochiales Ecclesiæ habeant pyxides intus saltem aurolitas duas, alteram ad sacram communionem Populo ministrandam, alteram verò ad infirmos cum Sanctissima Eucharistia deferendam, in qua tot reponantur particulæ, quot satis sint ad infirmorum communionem, & aliquæ supersint. Particulæ octauo quoque die

 reno-

renouentque quæ hostijs, quantum fieri potest, recens consecratis, quinque saltem consecratæ perpetuò sint asseruatæ.

40 Nullo autem modo desit lampas vna, vel plures, è regione, non è latere; quæ diu noctuque continuò colluceat.

41 Porro sacra Eucharistia administrari debet in Ecclesia summa cum reuerentia, intra Missæ sacrificium, postquam Sacerdos sanguinem sumpserit, & antequam se purificet, nisi aliud occasio tulerit. Diaconis quidem, & Clericis ad altare, laicis loco ab altari, & choro aliquãto remotiori.

42 In Oratorijs autem ædium priuatarum, in quibus Sanctæ Sedis Apostolicæ permissu celebratur, nemini vnquam Sacra Communio ministretur, nisi facultate à Nobis petita, & ob iustam, & necessariam caussam obtenta.

43 Quod si ministrari contigerit Missa absoluta, id fiat à Sacerdote adhuc planeta induto, extra Missã verò cum superpelliceo, ac stola coloris officio illius diei conuenientis; linteo ante suscepturos sacrã synaxim extẽso, ardentibus in Altari saltẽ duobus cereis, adhibito vasculo ad purificandum vitreo, aut alio quouis, quod tamen sit cõsecratum,

nec ad formam sacri Calicis extruatur.

44 Extra Parochiales Ecclesias assiduè non asseruetur; nisi adsit Papæ priuilegium, vt in Regularibus. S.Cong.Ep. 15.Ian 1619 S. Congr. Conc.1609

45 Probet igitur seipsum Homo, cum ad communicandum accedit; nè iudicium sibi manducet, & bibat, non dijudicans corpus Domini; & quidem ad externi cultus significationem, armis depositis, vt antea quoque sancitum est. 1.ad Corin 11.

46 Tempore communionis non permittatur; vt adsint capsulæ quæstuariæ, nec per Ecclesiam circumferantur ad colligendas eleemosynas; non tamen amouenda capsa ordinaria affixa in loco decenti; in quam eleemosynæ ex deuotione afferuntur. Bull.refor. Paroch.

47 Curent Parochi, alijque animarum Curatores, vt ab huius Sacratissimi cibi susceptione arceantur Paruuli ante vsum rationis, publicè Concubinarij, Fœneratores, Blasphemi, ac alij eiusmodi facinorosi homines, nisi eos vitam, & mores re ipsa emendasse perspexerint.

48 Damnatis ad mortem, cum ipso mortis die Sacramentum hoc ministrari non debeat, nisi à Nobis petita venia, pietati

Christianæ valde consentaneum ducimus, vt pridie suscipiant, quod præsenti Constitutione sancimus.

49 Cum sacro Paschæ tempore in propria cuique Parochia sacram communionem ministrari Ecclesiæ sit institutum, ac præceptum, curent Parochi, vt id in Quadragesima per se, vel per Concionatores Populo denuncietur. Peregrini autem, & aduenæ, qui in Vrbe domicilium non habent, ad Cathedralem remittantur.

Cap. omnis utriusq. sexus de Pænit. & remis.

50 Si quis autem alienæ Parochiæ in Ecclesia Cathedrali dicto Paschæ tempore Eucharistiam sumpserit, Parocho suo eius rei fidem proferat; si fuerit ab eo requisitus.

51 Hoc institutum, vt seruetur, describat singulis annis Parochus initio Sanctæ Quadragesimæ eorum nomina, qui suæ curæ commissi sunt: Eos verò, qui dicto tempore non communicauerint post Dominicam in Albis Nobis renunciet: quod si admoniti non resipiscant, pœnam excommunicationis incurrent.

52 Quicumque ab Vrbe absuerit, reuersus testatum faciat se Paschæ tempore Sacram communionem sumpsisse; quod testimo-

nij ſcriptum manu, vel ſigillo Ordinarij loci ſit munitum; alioquin, vt præcepto communicandi pareat, neceſſe eſt; quod ni fecerit, eadem pœna afficietur.

53 Viri, quantum fieri poteſt, à mulieribus ſeparati communicent, diuerſis in altaribus, aut ſacellis.

54 Quod vetuſtiſſimo Catholicæ Ecclesiæ more eſt obſeruatum, & Sancta Tridentina Synodus retinendum ſtatuit, vt ipſa nimirum Euchariſtia ad infirmos deferatur, cum ſumma æquitate, & ratione coniunctum eſt, vt ſtatæ cœremoniæ, ac preces adhibeantur, nec aliæ, quàm eæ, quæ ſunt in Rituali Romano deſcriptæ: Adsint Vmbella, laternæ, intorſtitia, Tintinnabula geſtatoria, Velum album pro humeris oblongum. *Trid. ſeſſ. 13. cap. 16.*

55 Quapropter à Parochis aduertendū, vt Paſchalibus diebus ad ægrotos ſuæ Parochiæ, qui Ecclesiā adire nequaquā poſſunt, ſacra communio deferatur. Ad cæteros autem, & extra tempus paſchale non paſſim, ſed vel de noſtra licentia, vel pro Viatico, idque conſtet medici teſtimonio ſcriptis exarato. *Rit. Rom.*

56 Et quidem antequam efferatur, tempeſtiuè

ſtiuè campanæ pulſu Chriſti fideles moneantur, vt ſcilicet ad aſſociandum conueniant. Noctu numquam educatur, niſi imminente mortis periculo, eoque vt probabile ſit eam amplius ab ægroto ſumi non poſſe, quod medici ſcripto omnino conſtet, cuius conſcientiam quoad hoc ſummopere oneramus. Sacramentum deferet ipſe Parochus, nec vllus Sacerdos, qui confeſſiones audiendi facultatem non habeat, ab illo ſubrogetur.

Trid. ſeſſ. 13. cap. 6.

57 Ad ægrotum, qui verè Euchariſtiam non eſt ſumpturus, nullo modo deferatur: quod ſi adueniens Parochus ita morbi vi affectum inueniat, vt ritè miniſtrare non poſſit, ægroto vehementer exoptanti, aperta pyxide, liceat oſtendere adorãdam.

58 Quin etiam ſi poſt extremam vnctionem ſuperſtes communionem expetat, nè denegetur, modò pro Viatico non præbeatur, Nobis inconſultis.

59 Cauendum eſt item, nè ad indignos, & Meretrices deferatur, niſi reſipuerint. Et quidem hortamur omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, vt ſtatim, ac Meretrices aliquo ægrotantes periculo compererint, Nos ipſos, vel noſtrum Generalem

Ex R. m.

Vica-

Vicarium, aut mulieris Parochum certiores faciant, quatenus illius saluti possimus sufficienter prouidere: hoc autem tempore, qui ad illas accesserit sine iusta, ac rationabili caussa, pœnas carceris, & pecuniarum dabit arbitratu nostro infligedas.

60 Si Sacerdoti Eucharistiam deferenti, quis obuiam fiat, ne grauetur equo, aut curru descendens illam ad Ecclesiam vsque comitari, nisi sint mulieres, aut morbo detenti.

61 Porrò licet huic præcelso, & venerabili Sacramento latriæ cultus, & summa veneratio debeatur, & æquissimum sit aliquibus diebus illud in conspectu dare fidelium populorum; nequaquam tamen id fiet absque expressa nostra facultate, exceptis tamen illis Ecclesijs in quibus exponitur ad orationem continuam quadraginta horarum in indice, seu tollo designatis: secus Interdicti pœnæ subiaceant. In illis autem curandum omnino est, vt Sanctissima Eucharistia ita constituatur, vt necesse non sit Sacerdotem super altare ascendere ad illam reponendam, remouendamque. Nisi super extet tabernaculum, ad illam custodiendam claue obseratum,

tum nostrum, qui vitam in Baptismo per regenerationem susceptam, Sacramento Confirmationis roboratam, ac cælesti Eucharistiæ cibo nutritam, per peccata frequenter amittimus, & leuioribus culpis facilè maculamus, in vitæ remedium Pœnitentiæ Sacramentum instituit, quæ laboriosus baptismus à Patribus appellatur: si enim confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt illa nobis remittat, & emundet nos ab omni iniquitate. Illud verò tum præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Est autem lapsis post baptismum ad salutem necessarium. Materia verò huiusce Sacramenti, remota quidem sunt peccata; proxima verò actus pœnitentis, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio. De quibus plura docuit Sacrosancta Synodus Tridentina, quæ à Confessoribus consuli oportet.

Trid. sess. 14. can. 1. & 2.

Ioan. 1.

Ioan. 20.

Trid. sess. 14.

66 Omnis igitur vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, annuæ confessionis preceptum studeat *Cap. omnis utriusq sexus de Pœn. & remiss.*

adimplere. Cæterum, si quis morbo correptus in lectulo decubuerit, continuo medicos aduocet animarum. Quamobrē quod iustè, ac Sanctè per Summum Pontificem recolendæ memoriæ Pium V. cautum est, nè medici ægrotum inuisant, qui intra triduum peccata confessus non fuerit, districtè præcipimus, vt executioni mandetur sub propositis in Bulla pœnis, addita etiam excommunicationis sententia, alijsque pro arbitrio à Nobis infligendis: & hoc quidem statutum volumus, vt frequenter in Ecclesijs publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat.

Const. 3 supra gregem in bul. Cherub.

67 Quamuis autem Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi potestatem accipiant; ad audiendas tamen confessiones Sacerdos nullus, etiam Regularis, accedat, quin se prius Nobis sistat, nostrisque Examinatoribus, & à Nobis facultatem solitis subscriptionibus, ac sigillo consignatam obtineat; præterquam in mortis articulo, in quo Sacerdos quilibet potest à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere. Regulares verò secum etiam habeant suorum Superiorum facultatem:

Trid. sess. 23. cap. 15.

Porrò Examinatores caueant, nè cuiquam audiendi mulierum confessiones potestatem impartiantur, qui quadragesimum ætatis annum non expleuerit. Permittimus verò, vt ex causa valdè vrgente Vicarius Generalis cum consilio Examinatorum, dispensare possit cum ijs, qui trigesimum sextum annum attigerunt, vt ad mulierum confessiones audiendas admittantur.

68 Confessiones excipiat in Ecclesia superpelliceo, ac stola violacea indutus, & mulierum quidem, nec ante Solis ortum, nec post eius occasum, nec alio in loco, præterquam in sede confessionali, posita loco patenti, atque conspicuo, quæ crate perforata Sacerdotē à pœnitente diuidat: domi nullius cuiuscumque præterquàm infirmorum, idque aperto ostio.

69 Sacerdos Confessarius diligenter inquirat, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quid consilij, quiduè remedij sit adhibendum, omnesque insistat vias, quibus se spiritualem illius sanitatem assequuturum speret.

70 Salutares pœnitentias iniungat, & quidem vbi pœcuniæ pijs locis, & operibus

 fue-

fuerint applicādæ, ne eas diſtribuēdi prouinciam vllo modo ipſe ſuſcipiat; nec quas ſtatuerit in Miſſæ ſacrificium eleemoſynas erogandas, eas ſibi ipſe petat.

71 Ante, vel poſt actum confeſſionis immediatum, ne quicquam eleemoſynæ nomine, aut quouis alio titulo à Sacerdotibus accipiatur, etiam ſpontè, ac voluntariè ijs offerentibus; quod ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda prohibemus.

72 Si ex Iubilæo, vel Bulla Sanctiſſimæ Cruciatæ, aut alterius Indulti Apoſtolici conceſſione, à pœnis, & cenſuris abſoluendi facultas impartiatur, caueant Confeſſores nè paſsim votorum commutationem extrà Sacramentalem confeſſionem faciant; nec illa commutent, niſi in maioris pietatis opera Deo gratiora; vel quæ ſaltem tantum valeant; nec cum eo, qui irregularitatem incurrerit, vllo modo diſpenſent, niſi in eam rem facultatem illis litteris nominatim expreſſam habuerint. Meminerint Commutationes votorum virtute Cruciatę, nōniſi in illius ſubſidium fore faciendas.

73 Ad inopum confeſſiones audiendas acerſiti,

cessiti, tum Sæculares, tum Regulares libenter accurrant, & suspensioni à sacris confessionibus obnoxios se fore cognoscant, nisi tempestiuè Parochos moneant, vt nimirum illarum necessitatibus aliqua ratione succurrant. Sæculares Confessarij quotannis à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè in sua Parochiali Ecclesia conueniant, Parochos in excipiendis fidelium confessionibus adiuturi: qui id sine rationabili causa neglexerit; quam Nobis, aut Vicario Generali probatam esse oportebit, in suspensionem à sacris confessionibus incurret.

74 Cum ex Concilij Tridentini decreto grauiora quædam crimina ab Episcopis reseruari in sua Diœcesi vtilissimum sit, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur Confessarij, vt ad Superiores, & legitimos Iudices in huiusmodi casibus pro beneficio absolutionis accedant: cum nihil ipsi possint in horum reseruatione extrà mortis articulum, nisi habeant facultatem à Nobis concessam, vel absolutionem impendant ijs, qui Bullam Sanctissimæ Cruciatæ acceperint; nè quis autem per incuriam aliquid sibi facultatis assumat, ca- Sess. 14 c. 7.

suum

ſuum ſequentium abſolutionem, Nobis reſeruamus, ac retinemus.

75 Raptores Virginum, prolem ſuffocantes, & nefandum Sodomiæ ſcelus committentes.

Paganis mulieribus, aut beſtijs abutentes.

Qui Sanctimoniales, vel alias mulieres intra monaſterium commorantes, turpitèr alloquuntur, vel turpè quid intendunt, aut tractant.

Sortilegium operantes: & magicas artes, Veneficia, ſuperſtitioneſque exercentes: & quolibet Sacramento, vel Sacramentali ad id abutentes.

Litterarum, ac sigilli Archiepiſcopalis, & eius Curiæ falſarij; & qui litteras, & ſcripturas Archiuij, vel furto abripiunt, vel quouis modo mutilant, aut deturpant, vt integrè legi nequeant.

Notarij, qui legata ad pias cauſſas facta non denunciant.

Clerici ad quoslibet Ordines per ſaltum, vel furtiuè promoti.

Bonorum Eccleſiaſticorum Inuaſores.

Qui quidem, vt memoriæ conſulatur, in hos verſus redacti ſunt.

Rap-

Raptor, suffocans prolem, mariumque nefandus,
Vsus, Brutalis, nec non pagana libido,
Turpe loquens, tractans, intendens cum Moniali.
Sortilegusque, Magusque, Veneficus, atque Sacratis
Vtens, falsificus, latro, legataque celans
Clericus ex falsu, cum peruasore bonorum.
Hæc sibi Martinus Præsul delicta reseruat.

Prædictos casus non solum vnusquisque apud se scriptos retineat, sed vna cum casibus in Bulla Cœnæ Domini reseruatis Rectores, ac Superiores quarumcumque Ecclesiarum apto loco in tabella descriptos exponant.

76 Ab ijs nemo absoluat, nisi ex Bullæ priuilegio, aut nostra potestate, sub pœna excommunicationis, sed ad Nos in Vrbe aut nostros in Ecclesia Cathedrali Pœnitentiarios, in Diœcesi verò ad foraneum Vicarium remittat. Quod si id graue pœnitenti fore viderit, illius nomine, ac de eius licentia facultatem exposcat.

77 Caueant postremò Sacerdotes Confessarij,

ſarij, nè verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodant peccatorem, vnde Sacramentalis confeſſionis ſigillum violetur.

78 Forma abſolutionis tam à peccatis, quã à cenſuris; nec non forma diſpenſationis ſuper Irregularitate à Rituali petatur, iiſdem ritibus, ac verbis adhibenda, nihil addendo, aut immutando.

CAP. VI.

De Sacramento Extremę Vnctionis.

79 SAcramentum hoc ExtremęVnctionis, quod non modo Pœnitentiæ, ſed totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, Conſummatiuum à Patribus exiſtimatum eſt, ac Sacramentum Exeuntium nuncupatur, Clementiſsimus Redemptor nôſter ad delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, & peccati reliquias abſtergendas ordinauit: ad quod ſanè adminiſtrandum, cum quis infirmatur, Eccleſiæ Presbyteri inducuntur, vt orent ſuper eum, vngentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluet infirmum, & alleuiet eum

Trid. ſeſs. 14 de Sacram. Extr. unc.

Iac. 5.

eum Dominus, & si in peccatis est, dimittantur ei.

80 Adhoc Sacramentum ministrandum oleum oliuarum ab Episcopo feria Quinta in Cœna Domini consecratum, vt materia remota adhibeatur, veteri combusto: quod si intra annum deficiat, aut ab Ecclesia Matrice petatur, aut sicubi aliud benedictum haberi nequeat, modici olei non benedicti in minori quantitate super infusione reparetur. Materia verò proxima est ipsa Sacra Vnctio, quæ gratiam Sancti Spiritus repræsentat, qua inuisibiliter ægrotantis anima inungitur.

81 Asseruetur in Ecclesia vasculo argenteo, seu stanneo, decenter, ac tutè custoditum, & ad euitandum effusionis periculum in bambacio deferatur.

82 Minister est solus Sacerdos, non quicumque, sed Parochus, vel ab eo delegatus: Alij verò Sacerdotes sæculares illud administrantes, in excommunicationem incidunt, & Regulares quidem excommunicati à Nobis nunciari possunt: Piè tamen credimus in necessitate quemlibet Sacerdotem esse ministrum, saltem ex interpretatiua Parochi voluntate. Item pos- *Clem. 1. de priuileg.*

 se

se vnum vnam partem vngere, & alterum alteram.

83 Ministretur à Presbytero cotta, ac stola violacea induto, comitante vno, aut pluribus Clericis, & qui confessiones audiendi potestatem habeat: eritque gratis administrandum omnibus, siuè de infirmitate conualescant, siuè è vita decedant.

84 Porrò post susceptam Eucharistiam, si commodè possit, ministrandum est, & quidem solis infirmis, aut ijs qui senio confecti deficiunt, sensibus, quantum fieri potest integris. Qua circa studiosè curent Medici, vt ægrotum, eiusque familiares, ac Parentes opportunè præmoneant.

85 Non præbeatur Impœnitentibus, excommunicatis, non dum baptizatis, prælium inituris, nauigationem, aut peregrinationem subituris, morte damnatis, rationis vsum non habentibus, amentibus à natiuitate, ac Mulieribus ipso in partu laborantibus; quibus tamen conferri posse piè credimus.

86 Solemnis verborum precatio, quæ forma est Sacramenti, simul cum Vnctione ab eodem proferatur; neque enim vnus debet vngere, alter verba proferre. Dum

oculos,

oculos, aures, & cætera membra, quæ paria sunt, inungit, nè in altero tantum, sed vtroq; inungẽdo, totam formam absoluat.

87 Si infirmus in ipsa vnctione moriatur, Presbyter vltra non procedat : si periculum immineat, omissis precationibus, citò vngat : si dubium sit, an viuat, sub conditione id faciat.

88 Manus Sacerdotibus exteriùs vngantur, laicis interiùs : Mulieribus, aut etiam infirmo, qui moueri commodè non potest, renes nè vngantur.

89 Quod si quis aliquo membro sit mutilatus, inungatur pars propinquior : nec ægroto eadem in infirmitate, & in eodem periculo plusquàm semel præbeatur: illud verò relinquere ex contemptu graue peccatum est.

90 Ad eorum autem consolationem, & adiumentum, qui ad triremes damnati vitam degunt, piè admodum à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano VIII. permissum est, vt ipsis in triremibus portu consistentibus sacra Vnctio asseruetur, quæ vt decenter custodiatur, & ea qua par est religione ministretur, Cappellanorum conscientiam oneramus.

CAP. VII.

De Sacramento Ordinis.

91 CVm Ecclesia Catholica in nouo Testamento Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione receperit, ac certissimum sit, sacrificium, ac Sacerdotium ita Dei ordinatione esse coniuncta, vt vtrumque in omni lege extiterit; dignissimum sanè fuit, vt idẽ Saluator noster in ea nouum visibile, & externum Sacerdotium institueret, in quod vetus translatum est. Noui igitur Testamenti Sacerdotes in vltima Cœna ordinauit, qui corporis, & sanguinis sui sub speciebus panis, & vini Sacramentum conficientes, illud perpetuò ministrarent: ad hoc autem regale Sacerdotium per alios inferiores Ministrorum ordines, qui ei ex officio deseruirent, quasi per gradus quosdam perueniri voluit, qui ab Episcopis, Apostolorum successoribus, ordinata distinctione conferantur.

Trid. sess. 23.

92 Vt igitur sacræ Ordinationes ea, qua par est, religione celebrentur, die Domi-

nico

nico illas præcedente, habeantur in singulis Ecclesijs Parochialibus & Regularibus supplicationes, & litaniæ ad diuinum auxilium implorandum, vt digni in vinea Domini operarij eligantur.

93 Prima tonsura initiandi afferant in primis fidem baptismi, vt appareat se legitimo esse matrimonio procreatos; aut litteras, quibus ostendant secum esse super natalium impedimento dispensatum. Non accedant, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, ac de quibus probabilis coniectura non sit, eos non fugiendi secularis iudicis fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. *Trid. sess. 23. cap. 4.*

94 Ad minores Ordines promouendi afferant testimonium Magistri Scholæ, & Parochi de seruitio Ecclesiæ exhibito, super quo conscientiam Parochorum oneramus: latinam linguam saltem intelligant, ac statim in Ecclesia adscribantur, in qua suo in munere se exerceant, & Dominicis, ac festis diebus inseruiant, atque ita de gradu in gradum ascendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina *ibid. c. 11.*

capiat

capiat incrementum; cumque hinc ad altiores gradus, & Sacratissima mysteria sit ingressus, nemo minoribus ordinibus initietur, quem scientiæ spes maioribus dignum non ostendat.

95 Cum ergo Sancti Concilij decreto prima tonsura initiandi non sæcularis Iudicij fugiendi fraude, sed animo Deo fideliter seruiendi hoc vitæ genus eligere, ac deinde in minoribus ordinibus constituti de gradu in gradum ad altiores ascendere debeant: proindeque ij, qui clericatum suscipiunt absque voluntate ad sacros Ordines ascendendi, sed solum vt sæcularem Iurisdictionem declinent, & à gabellarum onere excusentur, lethalis culpæ rei à grauibus Doctoribus existimentur, vt certè eò animo initiatos plurimos experimento didicimus; omnes, & singulos in Domino monemus, vt propriæ vocationis memores, cùm iam ætatem annorum viginti vnius compleuerint, ad sacrum Subdiaconatus, aliosque sacros Ordines congruis temporibus promoueri curent infra annum ab huius Synodi promulgatione numerandum. Quod si renuerint, contra ipsos iuxtà Sacrorum Canonum, ac Sacri

Conci-

Concilij Tridentini decreta, procedendum esse decernimus.

96 Oportet in Ecclesia Dei Ministros adesse vitæ integritate, moribus, ac doctrina conspicuos, nulloque Canonico impedimento detentos: hinc rectissimè à Sacris Canonibus sancitum est, vt ante ordinationem diligens scrutinium, & examen per Episcopum adhibeatur, iuxtà illud Apostoli: Nemini citò manum imposueris: Tales enim ad ministerium eligi oportet; qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare: melius est namque Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui dignè exerceant munus suum, quam multos inutiles obtinere: Vndè nō iniuria Pontifex Zosimus de Episcoporum nimia in ordinandis quibuscumque remissione conqueritur, qui pompam multitudinis quærunt; putantque ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri; cum tamen vitam illorum in scandalum populorum exponant, reique fiant infidelitatis eorum, qui scandalum patiuntur. Hinc sāctè Sacra Congregatio (20. Iulij 1592.) statuit, vt Clericorum numerus non sit maior, quam Ecclesiarum seruitium exposcat

Cap 1. & Epis. dist. 24. c. unic. de scrut. in ordin. faciend.

1 ad Timoth. 5.

Cap. tales dist. 23.

Cap. cum sit de ætat. et qual & 1. q. 1.

Cap. si officia dist. 59.

poscat

poſcat, in pauperum laicorum præiudicium. Hinc quoque rectè Sancta Tridentina Synodus ſanciuit, vt qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur committat, vt nominibus, ac deſiderio eorum qui volent promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirat; & litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimum tranſmittant. Quamobrem prædeceſſores noſtri illud ipſum Synodali conſtitutione ſanciuere; vt ſcilicet maiores ordines ſuſcepturi ante menſem per Parochum in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia denuncientur, iuxtà eiuſdem Sacri Concilij decretum. Quod, & Nos iterum diſtrictè præcipimus obſeruari. Quoniam verò eadem incommoda in promouendis ad primam clericalem tonſuram, minoreſque Ordines perſpiciuntur, Decreto SS. D. Gregorij PP. XV. habito Sacræ Congregationis voto, qui hoc ſeruandum in Regno Neapolis præcipit, Nos conformes red-

Seſs. 23. c. 5.

S. Congreg. 1623. 22. Iunii pro Regno Neap.

reddere volentes, hac perpetua constitutione decernimus, illud ipsum decretum, quod in susceptione maiorum ordinum obseruatur, in promouendis ad primam clericalem tonsuram, minoresque ordines obseruandum: quod, & peculiari quoque Edicto nostro præcepimus.

97 Cum verò ex Sacrosancti Concilij decreto non deceat eos, qui diuino ministerio sunt adscripti, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, nullus deinceps Clericus sæcularis, quamuis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate ad sacros Ordines promoueatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum pacificè possidere, quod sibi ad uictum honestè sufficiat: huiusmodi autem esse declaramus, in hac Vrbe quidem si sit scutorum sexaginta, in Diœcesi verò adminus scutorum quadraginta, sed in nostra Cathedrali Ecclesia, ad titulum Viuandæ statuimus posse quemlibet ordinari: Id verò beneficium resignare non possit; nisi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliundè viuere sess. 21. c. 2.

K com-

commodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit, & antiquorum Canonum pœnis ita promotus subijciatur. Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Nos iudicauerimus assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum nostrarum: eo quoque prius à Nobis prospecto patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: cuiusmodi esse itidem declaramus, in Vrbe, si sit scutorum sexaginta, in Diœcesi scutorum quadraginta: atque illa deinceps sine nostra licentia alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant, vnde viuere possint, antiquorum Canonum pœnas super his similiter innouando. Vt verò mendacia, fraudes, fallaciæ, & periuria, quæ in his contingere solent penitus euitentur, qui ad titulum patrimonij, cum Nobis videbitur expedire, ordinari voluerit, de eo fidem exhibere teneatur, aut legitimis documentis, aut proborum virorum, etiam Iuratorum testimonio, examinandorum coram Magi-
stro

ſtro Notario Magn. Cur. Archiepiſc. & Aſſeſſore in Vrbe, in Diœceſi verò coram Magiſtro Notario Curię Spiritualis, & Vicario foraneo loci, in quo illud examen fieri contigerit. Nè verò fraudes diligentiam noſtram tentent fortè deludere per retrodonationes, ceſſiones, aliaque pacta; declaramus fictitium eſſe patrimonium illud, quod ab aliquo poſſidetur cum pręuio pacto non exigendi fructus annuos, vel eos retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi, declaramus etiam in pœnā ſuſpenſionis à iure impoſitam eos incurrere, qui cum hoc fictitio, & ſimulato patrimonio ad ſacros Ordines acceſſerint; eamdemque pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendam, ſi & quatenus opus eſt denuò iniungimus.

98 Videndum inſuper erit, an horas canonicas, ad quas ſtatim poſt ſuſceptum ſacrum Ordinem manet adſtrictus, rectè, ac ritè nouerit recitare.

99 Subdiaconi, & Diaconi iuxtà ætatem à Tridentino præſcriptam ordinentur, nec, niſi poſt annum à ſuſceptione alterius Ordinis: habeant autem bonum teſtimonium, quod Eccleſijs, quibus adſcripti fue- *ſeſſ. 23. c. 11*

 rint,

rint, inseruierint, & frequenter sacram Communionem perceperint.

ibid. c.8. 100 Quicumque Diœcesis alienæ propter Ordinum collationes Nos adierit, dimissoriales Ordinarij litteras afferat, quibus suorum natalium, ætatis, ac patrimonij testimonium detur, ac vitæ probitas commendetur.

101 Regulares autem afferant litteras suorum Superiorum, qui certè caueant, nè conditiones requisitas in Constitutione Clement. Papæ VIII. in dictis litteris prætermittant, nimirum vt in illis caussam exprimant huiusmodi dimissionis, nempè vel propter absentiam Diœcesani, vel ob ordinationes ab eodem eo tempore non habendas.

die 15. Martii 1596.

102 Quod si quis facultatem à Sede Apostolica obtinuerit, vt possit à quocumque promoueri, norit eam non suffragari, nisi habeat legitimam caussam, ob quam à proprio Episcopo ordinari non possit, in litteris dimissorialibus exprimendam.

Trid. sess. 7. cap. 11.

103 Absentes Clerici, si dimissorias petant, mittant testimonium Ordinarij loci, vbi fuerint commorati, quo testimonio per testes fide-dignos, ac per illam Curiam

Spiri-

Spiritualem examinatos, eorum mores, ac vitæ honeſtas probetur; ſecus dimiſſoriales litteras non obtinebunt.

104 Examinis cauſſa nihil nè minimũ quidem, neque ante, neque poſt examen accipiant Examinatores: ſi contrafecerint, excommunicationis maioris pœna ipſo facto volumus innodari. Caueant, nè quem indignum nouerint, probent, nec quem dignum compererint, reijciant.

105 Si quem clericali veſtitu deformi, & ab Ordinis Eccleſiaſtici decore alieno indutum, vel ſine congrua pro ſui ſtatus, & Ordinis ratione, tonſura accedentem viderint, nè ei ad examen aditus fiat, donec decenti veſtitu amictus, & ritè tonſus redierit.

106 Nè quis autem ignorantia, fraude, doloue contra Sacrorum Canonum, & Concilij præſcriptum Sacræ Ordinationi ſeſe ingerat, accuratiſſimè indagare curent Examinatores, an ſinguli eorum, qui initiari deſiderant, aliquo impedimento ex infraſcriptis irretiantur. Vt potè, an minores natu, Sacramento Chriſmatis non confirmati, rudes, & ignari, criminoſi, ſolemniter pœnitentes, Neophyti, ebrie-

tati,

tati, & gulæ dediti, impudici, periuri, vſurarij manifeſti, infames, ratiocinijs obligati, ſerui, corpore vitiati, inſigniter deformes, illegitimè nati, Peregrini, & ignoti, bigami, ſuſpenſi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, & irregulares quouis alio modo: & ſi id ætas tulerit, quærant, an ſtipendium belli fecerint, vnde hominum cædes extiterit, an medicinam fuerint profeſſi, an iudicis criminalis in foro laicali officium geſſerint, an ſententiam capitis tulerint, an criminis, cuius nomine quis capitis damnatus ſit, acta, teſtificationeſuè tamquam notarij ex officio conſcripſerint, & an in eo teſtis, procuratoris, Aduocati Fiſcalis munus exercuerint. Circa Regulares verò vltra prędicta, videatur an in Religione, cui adſcripti ſunt profeſſionem emiſerint.

107 Si quis inſuper contrà Pij II. Conſtitutiones ſine Canonica diſpenſatione extrà ſtatuta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſorijs Epiſcopi ſui litteris, ad aliquem ſacrum Ordinem promoueri ſe fecerit, intelligat ſe ab eorum Ordinum, ad quos promotus fuerit, functione,

15. Kalend. Decembr. 1461.

ctione, ipso iure suspensum.

Pro litteris autem dimissorijs, seu testimonialibus in hac Curia conficiendis seruentur taxationes in archiuio expositæ.

Denique Abbates Regulares, aliosque quoscumque quantumuis exemptos monemus; vt S. Concilij Tridentini decretum omnino custodiant; quo cautum est, ipsis nullatenus licere, intrá fines nostræ Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre, non obstantibus quibusque priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. *Sess. 23. c. 10*

CAP. VIII.

De Sacramento Matrimonii.

108 MAtrimonij perpetuum, indissolubilemque viri, ac mulieris nexum, prius ab Adamo humani generis parente, diuini Spiritus instinctu, pronunciatum, cum dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Christus Dominus illis *Trid. Sess. 24. init. de refor. matr*

ver-

verbis, Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, confirmauit, gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, ac firmaret indissolubilem vnitatem, coniugesque sanctificaret, ipse Christus sua nobis passione promeruit. Cum igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Christum gratiam præstet, merito Apostolus Sacramentum hoc Magnum appellauit, ac inter nouæ legis Sacramenta annumerandum SS. Patres, Concilia, & Vniuersalis Ecclesiæ traditio docuerunt.

ad Ephes. 5.

109 Vt ergo hoc magnum Sacramentum ea qua decet reuerentia pertractetur, Parochis nostris mandamus, ac districtè præcipimus, vt Tridentinas Constitutiones in matrimonijs peragendis obseruari diligentissimè curent.

Trid. ubi sup.

110 Noscant in primis præsertim ex S. Tridentina Synodo, quæ sint canonica impedimenta, matrimonium impedientia, ac dirimentia; qui sint gradus consanguinitatis, & affinitatis, ac cognationis etiam spiritualis; curentque vt illa etiam calleant coadiutores Cappellani.

sess. 24. de refor. matr

111 Antequam ad denunciationes deueniat,

niat, Parochus Cappellanum mittat ad viciniam contrahentium, vt super loco, & non alibi, de ipsorum domicilio cognoscat, ad tollendam omnem fraudem, & periculum; idque adhibitis testibus fide dignis, nempè hominibus notis eiusdem viciniæ, qui de ipsorum habitatione in manibus eiusdem Cappellani iuramentum præstent, eorumque nomina, ac testimonium scripta retineat.

112 Tum vero, præter notitiam, quam ab Agnatis, & Curatoribus habebit, exquirat ab ipsis contrahentibus primùm à mari, tùm à fœmina, an matrimonij denunciationes fieri placeat; quod si fuerint absentes, illud à legitimo constituto procuratore peruestiget, Qua in re caueat, nè dum de denunciationibus interrogat, matrimonij consensum exquirat: itaque de solis denunciationibus faciendis explicatè, ac distinctè perquirat: à fœmina quidem in propinquorum conspectu, non tamen ita propè ipsos, vt minus liberè animi sui voluntatem exprimere audeat. Videat insuper an impedimento aliquo sint irretiti, an votum Castitatis, aut Religionis emiserint; & si sint filij familias, valdè cohor-

retur, nè parentibus inſcijs matrimonium ineant: præſertim verò meminerint matrimonia inter raptorem, & raptam, dum ipſa in raptoris poteſtate manſerit, irrita eſſe, ac inualida.

113 Moneat ſponſos excommunicationem latam eſſe; tum contra eos, qui in gradu prohibito iunguntur, tum etiam, qui vel ad conciliandam alterutrius beneuolentiam, vel ad alium finem ſuperſtitione aliqua vtuntur; & vt antequam contrahunt, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam accedant; nec matrimonio iungendos eſſe præmoneat, quin fidei chriſtianæ rudimenta prius nouerint.

Trid. ibid. cap. 1. 114 Itaque, ipſis iam petentibus, & conſentientibus, publicè denunciationes fiant in Eccleſia Parochiali tribus continuis diebus feſtiuis, inter Miſſarum ſolemnia, vt Concilio Tridentino cauetur.

115 Denunciationibus factis, ſi nullum opponatur legitimum impedimentum, ad matrimonij celebrationem in facie Eccleſiæ procedatur; at verò non eo ipſo die, quo facta eſt vltima denũciatio, niſi impetrata à Nobis, aut noſtro Vic. Gen. facultate.

Nul-

116 Nullo autem alio in loco, nisi in Ecclesia, quæ propria Sacramentorum domus est, sponsos iungat, nisi iustam ob caussam Nobis probatam: quo circa caueant Medici, nè facili negotio fidem faciant, ipsos, aut propter ægritudinem, aut corporis imbecillitatem Ecclesiam adire non posse.

117 Et quidem matrimonia celebrentur iuxtà præscriptam formam Ritualis Romani matutinis horis, vt Missa peracta Sacerdotis benedictionem accipiant. Quòd si necessaria ex caussa domi fuerint celebrata, Parochi officium erit intimare sponsis, vt ad Ecclesiam veniant benedictionem accepturi, infra dies xv. sub pœna excommunicationis. Si verò intra vetita tempora contraxerint, infra dies octo ab apertis nuptijs Ecclesiam adeant.

118 Si sponsus, aut sponsa diuersæ Parochiæ fuerint, in vtraque Parochia denunciationes fiant. Alter verò Parochus matrimonium non denunciet, nisi certior ab altero Parocho factus sit de consensu illius, qui est suæ curæ subiectus. Nec in matrimonium iungat, quin alterius etiam Parochi testimonium scriptum, & obsigna-

tum habuerit, quo sibi testatum sit, denunciationes esse factas, nullumque repertum impedimentum, aut certè nostro iussu omissas, cum Ordinariorum prudentiæ, ac iudicio harum denunciationum remissionem Sancta Tridentina Synodus relinquat. Quod si is Parochus alienæ sit Diœcesis, illud Ordinarij loci sigillo sit munitum. Vagos, & exteros ad contrahendum non admittat, nisi facta legitima probatione iuxtà præscriptum Concilij Tridentini.

ibid. c. 7.

119 Si matrimonij celebratio denunciationes iusta caussa præcesserit, moneat omnino prohibitam in illis adhuc esse cohabitationem, & matrimonij consummationem, donec factis denunciationibus, nullum impedimentum deprehensum esse constiterit.

120 Habeat Parochus librum, in quo coniugum, ac testium nomina, diemque, mensem, & annum, ac locum contracti matrimonij describat, nec non Sacerdotis, cui licentiam assistendi matrimonio concessit, eumque diligenter apud se custodiat; nulli verò eam licentiam concedat, qui Sacramenta ministrandi facultatem

ibid. c. 1.


tem scriptam non habeat.

121 Sciat verò Parochus, vel alius Sacerdos, qui de ipsius Parochi, seu nostra licentia matrimonio contrahendo assistit, si cum minore duorum, vel trium testium numero, testes item si sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui inter fuerint, se; nec non ipsos contrahentes, præter matrimonij inualiditatem, grauiter arbitrio nostro fore puniendos. Si quis verò Parochus, vel alius Sacerdos siuè regularis, siuè sæcularis sit, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit; ipso iure tamdiù suspensus maneat, quamdiù à nobis absoluatur. *ibid. c. 1.*

122 Postremò meminerit à Dominica Prima Aduentus vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria Quarta Cinerum, vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè solemnitates nuptiarum prohibitas esse. *ibid. c. 10.*



PARS



PARS TERTIA DE DIVINO CVLTV.

DEVM Optimum Maximum externè colimus Latriæ cultu, ac veneratione, vel per Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quo ipsi vti principio rerum omnium creatarum nos offerimus; vel per Orationem, qua eidem nosmetipsos subijcimus profitentes illius auxilio indigere: vtrumque verò cultum in Ecclesijs exhibemus. Sanctos porrò, ipsiusmet D. O. M. excellentiores creaturas, externè colimus Duliæ cultu, quo, & eorum reliquias, sacrasq;

S Th. 2.2. q. 84. art. 1. q. 85. art. 2. q. 83. art. 2.

q. 103. per tot.

crasque imagines veneramur, & miracula ab eis præstita piè admiramur. Coniunctim denique colimus Deum, eiusque Sanctos, dierum festorum, ieiuniorum, ac processionum obseruatione. De ijs ergo omnibus hac tertia parte, quæ est de Diuino Cultu tractandum esse decreuimus.

C A P. I.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac de obseruandis, & euitandis in illius celebratione.

1 NVllum sanè aliud opus adeo sanctū, ac adeo diuinum à Christi fidelibus tractari potest, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: hinc verò facilè quiuis existimare poterit, quāta, & interioris cordis munditia, ac puritate, & exteriori deuotionis, ac pietatis specie peragendum sit. Quapropter ad tollendam omnem superstitionis suspicionem; districtè Presbyteris omnibus inhibetur, ne ritus alios, aut alias cæremonias, *Trid. sess. 22. de obser. & euitand. in celebr. missarum.*

ac

commodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit, & antiquorum Canonum pœnis ita promotus subijciatur. Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Nos iudicauerimus assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum nostrarum: eo quoque prius à Nobis prospecto patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: cuiusmodi esse itidem declaramus, in Vrbe, si sit scutorum sexaginta, in Diœcesi scutorum quadraginta: atque illa deinceps sine nostra licentia alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant, vnde viuere posśint, antiquorum Canonum pœnas super his similiter innouando. Vt verò mendacia, fraudes, fallaciæ, & periuria, quæ in his contingere solent penitus euitentur, qui ad titulum patrimonij, cum Nobis videbitur expedire, ordinari voluerit, de eo fidem exhibere teneatur, aut legitimis documentis, aut proborum virorum, etiam Iuratorum testimonio, examinandorum coram Magi-

stro

ſtro Notario Magn. Cur. Archiepiſc. & Aſſeſſore in Vrbe, in Diœceſi verò coram Magiſtro Notario Curię Spiritualis, & Vicario ſoraneo loci, in quo illud examen fieri contigerit. Nè verò fraudes diligentiam noſtram tentent fortè deludere per retrodonationes, ceſſiones, aliaque pacta; declaramus fictitium eſſe patrimonium illud, quod ab aliquo poſſidetur cum pręuio pacto non exigendi fructus annuos, vel eos retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi, declaramus etiam in pœnā ſuſpenſionis à iure impoſitam eos incurrere, qui cum hoc fictitio, & ſimulato patrimonio ad ſacros Ordines acceſſerint; eamdemque pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendam, ſi & quatenus opus eſt denuò iniungimus.

98 Videndum inſuper erit, an horas canonicas, ad quas ſtatim poſt ſuſceptum ſacrum Ordinem manet adſtrictus, rectè, ac ritè nouerit recitare.

99 Subdiaconi, & Diaconi iuxtà ætatem à Tridentino præſcriptam ordinentur, nec, *Seſs. 23. c. 12* niſi poſt annum à ſuſceptione alterius Ordinis: habeant autem bonum teſtimonium, quod Eccleſijs, quibus adſcripti fuerint,

rint, inseruierint, & frequenter sacram Communionem perceperint.

ibid. c.8.

100 Quicumque Diœcesis alienæ propter Ordinum collationes Nos adierit, dimissoriales Ordinarij litteras afferat, quibus suorum natalium, ætatis, ac patrimonij testimonium detur, ac vitæ probitas commendetur.

101 Regulares autem afferant litteras suorum Superiorum, qui certè caueant, nè conditiones requisitas in Constitutione Clement. Papæ VIII. in dictis litteris prætermittant, nimirum vt in illis caussam exprimant huiusmodi dimissionis, nempè vel propter absentiam Diœcesani, vel ob ordinationes ab eodem eo tempore non habendas.

die 15. Martii 1596.

102 Quod si quis facultatem à Sede Apostolica obtinuerit, vt possit à quocumque promoueri, norit eam non suffragari, nisi habeat legitimam caussam, ob quam à proprio Episcopo ordinari non possit, in litteris dimissorialibus exprimendam.

Trid. sess. 7. cap. 11.

103 Absentes Clerici, si dimissorias petant, mittant testimonium Ordinarij loci, vbi fuerint commorati, quo testimonio per testes fide-dignos, ac per illam Curiam

Spiri-

Spiritualem examinatos, eorum mores, ac vitæ honeſtas probetur; ſecus dimiſſoriales litteras non obtinebunt.

104 Examinis cauſſa nihil nè minimũ quidem, neque ante, neque poſt examen accipiant Examinatores: ſi contrafecerint, excommunicationis maioris pœna ipſo facto volumus innodari. Caueant, nè quem indignum nouerint, probent, nec quem dignum compererint, reijciant.

105 Si quem clericali veſtitu deformi, & ab Ordinis Eccleſiaſtici decore alieno indutum, vel ſine congrua pro ſui ſtatus, & Ordinis ratione, tonſura accedentem viderint, nè ei ad examen aditus fiat, donec decenti veſtitu amictus, & ritè tonſus redierit.

106 Nè quis autem ignorantia, fraude, doloue contra Sacrorum Canonum, & Concilij præſcriptum Sacræ Ordinationi ſeſe ingerat, accuratiſſimè indagare curent Examinatores, an ſinguli eorum, qui initiari deſiderant, aliquo impedimento ex infraſcriptis irretiantur. Vt potè, an minores natu, Sacramento Chriſmatis non confirmati, rudes, & ignari, criminoſi, ſolemniter pœnitentes, Neophyti, ebrietati,

tati, & gulæ dediti, impudici, periuri, vſurarij manifeſti, infames, ratiocinijs obligati, ſerui, corpore vitiati, inſigniter deformes, illegitimè nati, Peregrini, & ignoti, bigami, ſuſpenſi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, & irregulares quouis alio modo: & ſi id ætas tulerit, quęrant, an ſtipendium belli fecerint, vnde hominum cædes extiterit, an medicinam fuerint profeſſi, an iudicis criminalis in foro laicali officium geſſerint, an ſententiam capitis tulerint, an criminis, cuius nomine quis capitis damnatus ſit, acta, teſtificationeſuè tamquam notarij ex officio conſcripſerint, & an in eo teſtis, procuratoris, Aduocati Fiſcalis munus exercuerint. Circa Regulares verò vltra prędicta, videatur an in Religione, cui adſcripti ſunt profeſſionem emiſerint.

107 Si quis inſuper contrà Pij II. Conſtitutiones ſine Canonica diſpenſatione extrà ſtatuta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſorijs Epiſcopi ſui litteris, ad aliquem ſacrum Ordinem promoueri ſe fecerit, intelligat ſe ab eorum Ordinum, ad quos promotus fuerit, functione,

15. *Kalend. Decembr.* 1461.

ctione, ipso iure suspensum.

Pro litteris autem dimissorijs, seu testimonialibus in hac Curia conficiendis seruentur taxationes in archiuio expositæ.

Denique Abbates Regulares, aliosque quoscumque quantumuis exemptos monemus; vt S. Concilij Tridentini decretum omnino custodiant; quo cautum est, ipsis nullatenus licere, intra fines nostræ Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre, non obstantibus quibusque priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. *sess.23.c.10*

CAP. VIII.

De Sacramento Matrimonii.

108 Matrimonij perpetuum, indissolubilemque viri, ac mulieris nexum, prius ab Adamo humani generis parente, diuini Spiritus instinctu, pronunciatum, cum dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Christus Dominus illis ver- *Trid. sess. 24. init. de refor. matr*

niat, Parochus Cappellanum mittat ad viciniam contrahentium, vt super loco, & non alibi, de ipsorum domicilio cognoscat, ad tollendam omnem fraudem, & periculum; idque adhibitis testibus fide dignis, nempè hominibus notis eiusdem viciniæ, qui de ipsorum habitatione in manibus eiusdem Cappellani iuramentum præstent, eorumque nomina, ac testimonium scripta retineat.

112 Tum vero, præter notitiam, quam ab Agnatis, & Curatoribus habebit, exquirat ab ipsis contrahentibus primùm à mari, tùm à fœmina, an matrimonij denunciationes fieri placeat; quod si fuerint absentes, illud à legitimo constituto procuratore peruestiget. Qua in re caueat, ne dum de denunciationibus interrogat, matrimonij consensum exquirat: itaque de solis denunciationibus faciendis explicatè, ac distinctè perquirat: à fœmina quidem in propinquorum conspectu, non tamen ita propè ipsos, vt minus liberè animi sui voluntatem exprimere audeat. Videat insuper an impedimento aliquo sint irretiti, an votum Castitatis, aut Religionis emiserint; & si sint filij familias, valdè cohor-

retur, nè parentibus inſcijs matrimonium ineant: præſertim verò meminerint matrimonia inter raptorem, & raptam, dum ipſa in raptoris poteſtate manſerit, irrita eſſe, ac inualida.

113 Moneat ſponſos excommunicationem latam eſſe, tum contra eos, qui in gradu prohibito iunguntur, tum etiam, qui vel ad conciliandam alterutrius beneuolentiam, vel ad alium finem ſuperſtitione aliqua vtuntur; & vt antequam contrahunt, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam accedant; nec matrimonio iungendos eſſe præmoneat, quin fidei chriſtianæ rudimenta prius nouerint.

Trid. ibid. cap. 1. 114 Itaque, ipſis iam petentibus, & conſentientibus, publicè denunciationes fiant in Eccleſia Parochiali tribus continuis diebus feſtiuis, inter Miſſarum ſolemnia, vt Concilio Tridentino cauetur.

115 Denunciationibus factis, ſi nullum opponatur legitimum impedimentum, ad matrimonij celebrationem in facie Eccleſiæ procedatur; at verò non eo ipſo die, quo facta eſt vltima denũciatio, niſi impetrata à Nobis, aut noſtro Vic. Gen. facultate.

Nul-

116 Nullo autem alio in loco, nisi in Ecclesia, quæ propria Sacramentorum domus est, sponsos iungat, nisi iustam ob caussam Nobis probatam: quo circa caueant Medici, nè facili negotio fidem faciant, ipsos, aut propter ægritudinem, aut corporis imbecillitatem Ecclesiam adire non posse.

117 Et quidem matrimonia celebrentur iuxtà præscriptam formam Ritualis Romani matutinis horis, vt Missa peracta Sacerdotis benedictionem accipiant. Quod si necessaria ex caussa domi fuerint celebrata, Parochi officium erit intimare sponsis, vt ad Ecclesiam veniant benedictionem accepturi, infra dies xv. sub pœna excommunicationis. Si verò intra vetita tempora contraxerint, infra dies octo ab apertis nuptijs Ecclesiam adeant.

118 Si sponsus, aut sponsa diuersę Parochię fuerint, in vtraque Parochia denunciationes fiant. Alter verò Parochus matrimonium non denunciet, nisi certior ab altero Parocho factus sit de consensu illius, qui est suæ curæ subiectus. Nec in matrimonium iungat, quin alterius etiam Parochi testimonium scriptum, & obsigna-

tum habuerit, quo sibi testatum sit, denunciationes esse factas, nullumque repertum impedimentum, aut certè nostro iussu omissas, cum Ordinariorum prudentiæ, ac iudicio harum denunciationum remissionem Sancta Tridentina Synodus relinquat. Quod si is Parochus alienæ sit Diœcesis, illud Ordinarij loci sigillo sit munitum. Vagos, & exteros ad contrahendum non admittat, nisi facta legitima probatione iuxtà præscriptum Concilij Tridentini.

ibid. c. 7.

119 Si matrimonij celebratio denunciationes iusta caussa præcesserit, moneat omnino prohibitam in illis adhuc esse cohabitationem, & matrimonij consummationem, donec factis denunciationibus, nullum impedimentum deprehensum esse constiterit.

120 Habeat Parochus librum, in quo coniugum, ac testium nomina, diemque, mensem, & annum, ac locum contracti matrimonij describat, nec non Sacerdotis, cui licentiam assistendi matrimonio concessit, eumque diligenter apud se custodiat; nulli verò eam licentiam concedat, qui Sacramenta ministrandi faculta-

ibid. c. 1.

tem


tem scriptam non habeat.

121 Sciat verò Parochus, vel alius Sacerdos, qui de ipsius Parochi, seu nostra licentia matrimonio contrahendo assistit, si cum minore duorum, vel trium testium numero, testes item si sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui inter fuerint, se; nec non ipsos contrahentes, præter matrimonij inualiditatem, grauiter arbitrio nostro fore puniendos. Si quis verò Parochus, vel alius Sacerdos siuè regularis, siuè sæcularis sit, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit; ipso iure tamdiù suspensus maneat, quamdiù à nobis absoluatur. *ibid. c. 1.*

122 Postremò meminerit à Dominica Prima Aduentus vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria Quarta Cinerum, vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè solemnitates nuptiarum prohibitas esse. *ibid. c. 10.*



PARS



PARS TERTIA: DE DIVINO CVLTV.



DEVM Optimum Maximum externè colimus Latriæ cultu, ac veneratione; vel per Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quo ipsi vti principio rerum omnium creatarum nos offerimus; vel per Orationem, qua eidem nosmetipsos subijcimus profitentes illius auxilio indigere: vtrumque verò cultum in Ecclesijs exhibemus. Sanctos porrò, ipsiusmet D. O. M. excellentiores creaturas, externè colimus Duliæ cultu, quo, & eorum reliquias, sacrasq;

S Th. 2. 2. q. 84. art. 1. q. 85. art. 2 q. 83. art. 2.

q. 103. per tot.

crasque imagines veneramur, & miracula ab eis præstita piè admiramur. Coniunctim denique colimus Deum, eiusque Sanctos, dierum festorum, ieiuniorum, ac processionum obseruatione. De ijs ergo omnibus hac tertia parte, quæ est de Diuino Cultu tractandum esse decreuimus.

CAP. I.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac de obseruandis, & euitandis in illius celebratione.

1 NVllum sanè aliud opus adeo sanctū, ac adeo diuinum à Christi fidelibus tractari potest, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: hinc verò facilè quiuis existimare poterit, quāta, & interioris cordis munditia, ac puritate, & exteriori deuotionis, ac pietatis specie peragendum sit. Quapropter ad tollendam omnem superstitionis suspicionem; districtè Presbyteris omnibus inhibetur, ne ritus alios, aut alias cæremonias, *Trid sess. 22. de obser. & euitand. in celebr. missarum.*

ac preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ in Missali Romano ex decreto S. C. T. restituto, Pij V. iussu edito, & Clement. VIII. primum, ac denuò Vrban. VIII. authoritate recognito, ac reformato, præcipiuntur. Iccirco omnis adhibenda erit cura, nè cuiquam Sacerdoti facultas celebrandi detur, nisi prius circa cæremonias à Magistro cæremoniarum, cuius conscientiam, quoad hoc, summoperè oneramus, fuerit examinatus, & approbatus.

2 Exteris Sacerdotibus, & alienæ Diœcesis Missæ celebratio interdicitur, donec litteras testimoniales Episcopi Ordinarij ostendant; ijsque comprobatis, ad celebrandum non admittantur; nisi prius per Magistrum cæremoniarum circa ceremonias examinati, & approbati, à Vicario nostro Generali licentiam in scriptis obtinuerint.

3 Missæ Sacrificium neutiquam fiat, nisi in ara consecrata, vt moris est, & in Altari, in quo omnino sit Crux in medio cum imagine Sanctissimi Crucifixi. Et ad Episcopalis dignitatis obseruantiam, quo in Altari Archiepiscopus sacrum facit, ne illo die Sacerdos alius celebrare præsumat,

nisi

nisi ex eiusdem Archiepiscopi consensu. Nec item fiat in ædibus priuatis absque licentia Sanctæ Sedis Apostolicæ: nec diebus illis solenioribus, qui in huiusmodi litteris ex declaratione Sacræ Congregationis Rituum excipiuntur; nimirum diebus Paschatis, Pentecostes, Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniæ, Annunciationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, nec non Sanctarum Virginum tutelarium, videlicet, Translationis Christinæ, & Sanctæ Nimphæ, & festi Sanctæ Agathæ, & Inuentionis Rosaliæ; nec demum in Ecclesijs Sanctimonialium absque peculiari licentia scriptis obtenta.

4 Itaque Sacerdos sacrum facturus, statas, ac debitas horas ne transgrediatur: antequam celebret, se colligat, preces, psalmos, & orationes, vt in Rubricis Missalis *Hierem.* 48 pro opportunitate recitet; cogitans maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter.

5 Accedat autem cum metu, & reuerentia, facta diligenti discussione, & qui maculas, si quas inuenerit, sacro Pœnitentiæ

lauacro detererit: quod vt commodius fiat, curent Ecclesiarum Rectores, vt in Sacristijs cellulæ collocentur ad hunc orandi, seu confitendi vsum accomodatæ. Missam prælegat, & singulas partes ita præparatas habeat; vt neque erret, neque hæreat.

6 Manus deindè lauet, adhibita consueta Ecclesiæ precatione, mox singulis indumentis, proprijs orationibus ritè pronunciatis, sese induat, sacris vestibus indutus neminem alloquatur, neque loquentibus aures præbeat.

7 Accensis igitur candelis, & vrceolis vitreis, aut argenteis, nullo modo stanneis, cum peluicula ad altare allatis, datoque per campanulam signo, ad celebrandum accedat, præcedente Clerico cotta induto, qui sacrum facienti ministret, & Missalem librum gestet, quique in ministerij functione ritè sit instructus, & astantes propius, quam par est, ad altare accedentes, modestè arceat: dum autem ministrat, nullas preces de libro quopiam recitet.

8 In altari Sacerdos, ne quempiam præstoletur, nec expectandi gratia in mora sit; neuè vspiam, incohata missa, subsistat,

aut eius initium repetat. Quæ palam pronuncianda sunt, distinctè, & clara voce pronunciet; quæ secretò, secreta; neque tardiùs, aut celerius, quàm par est; neque subbireto vtatur, vel pileolo, etiam extra canonem, nec anulo, vt sæpius à Sacra Rituum Congregatione sancitum est.

Peracto sacrificio, in Sacristiam redeat, & sacris vestibus exutus, vt in rubricis, preces, ac gratiarum actiones pro sua pietate persoluat.

9 Et quia Missa magnam continet populi eruditionem, fideles omnes hortamur, vt cum sacrificio intersunt, ita se componant, vt corporis habitu, animi deuotionem patefaciant, & iuxtà Concilij Trident. præsciptum monemus, vt frequenter ad suas Parochias saltem Dominicis diebus, & maioribus festis accedant.

Trid. sess. 22. de obser. & euitand. in celebrat. missar.

10 Parochi verò, & Ecclesiarum Rectores summam adhibeant diligentiam, vt quæ tanto sacrificio inseruiunt, nitida sint, ac munda, calices argentei, vestes, panni linei, purificatoria, corporalia, mappæ, cæteraque ornamenta, ac etiam indumenta, non lacera, non scissa, sed integra, & concinnè composita, eiusque coloris, quem

ſolemnitatum, ac temporum ratio poſtulabit. Poſtremò iuxtà Tridentini Synodi decretum arceant muſicas, quæ ſiuè organo, ſiuè cantu, laſciuum aliquid ſapiant, & ſæculares omnes actiones, quæ quouis prætextu fiant.

S Congr. 11 Sacerdos in primæ Miſſæ celebratione, Eccleſiam nè circumeat ſacris veſtibus indutus, aut ante Altare ſiſtat, eleemoſynis, & oblationibus turpiter ſe exponens: eoque die, quo primum ſacra peragit, à conuiuijs, ludis, & choreis prorſus abſtineat: ac potiùs gratijs pro tanto ſibi collato beneficio agendis vacet.

eadem 20. Nouembr. 1628.

12 Exponatur in Sacriſtia Tabella, quæ Miſſas iuxtà dierum varietatem præſcribat. Monialium Cappellani Miſſas officio ipſarum conuenientes celebrare queunt modò Miſſali Romano vtantur. Nec Græci Latinam, nec Latini Græcam Miſſam peragant ſub excommunicationis pœna.

13 Quoniam in quibuſdam Eccleſijs magnus celebrandarum numerus reperitur; ita vt diebus à Teſtatoribus præſcriptis earum celebrationi minime ſatisfiat; Nos piarum diſpoſitionum executores à San-

ſeſſ.25 c.4.

cta Tridentina Synodo conſtituti, cupientes, pias teſtantium voluntates non deperire, ſed debitæ executioni mandari, diſtricte præcipimus, vt quilibet Eccleſiarum Rector tabellas conficiat beneficiorum, ac piorum legatorum, cum annexis oneribus, quibuſque diebus, & Altaribus Miſſæ ſint celebrandæ, expreſſis quoque eorum nominibus, qui ijs ſatisfacere obſtringuntur: eaſque patenti loco omnibus legendas exponat, vt quiſque ſciat, quid ſibi præſtandum ſit, munuſque ſuum probè exequatur. Et nè huiuſmodi Miſſarum onera obliuione depereant, Idem Rector Magiſtro Notario vniuſcuiuſque loci eamdem tabellam tradat, quam in actis redactam, in Archiuio idem Magiſter Notarius curet aſſeruandam. Id vt facilius executioni mandetur, omnibus, & ſingulis Beneficiarijs, Eccleſiarum Rectoribus, Cappellanis, alijſque quibuſcumque quomodolibet Miſſarum legata obtinentibus, præcipimus, ac mandamus, vt infra quatuor menſes à die publicationis huius noſtræ Synodi numerandos, Bullas, aliaué inſtrumenta beneficiorum, ac legatorum huiuſmodi, Nobis, vel noſtro Vicario

Seſſ. 22. c. 8.

cario

cario Generali ostendant, quo prædictæ tabellæ fideliter confici queant: quas quidem Magister Notarius deinde gratis, cum opus fuerit exhibere teneatur: si quis verò huic Constitutioni non paruerit, sciat se arbitrio nostro puniendum.

14 Deputati Missarum in nostra Cathedrali, in reliquis verò Ecclesijs Parochi, seu Rectores earumdem, ac in Diœcesi Archipresbyteri singulis quibusque annis, mense Septembris, exactam ineant rationem Missarum anno antecedentis Indictionis celebratarum; ac de earum omissionibus, si quæ forte contigere, Nos moneant, vt opportunis remedijs earumdem satisfactioni consulamus: quod si id neglexerint, præterquam quod districtè Dei vltioni subijcientur, pœnas à Nobis infligendas; persoluent.

15 Decreta S. Congregationis de celebratione Missarum sub Vrb. Papa VIII, emanata ab omnibus seruanda sub ijsdem, alijsque arbitrarijs pœnis districtè præcipimus: ac præsertim nullus Sacerdos, qui Missam celebrandam cum certa eleemosyna suscepit; eamdem alteri, parte eiusdem eleemosynę sibi retẽta, celebrãdã cõmittat

In constit. cum sæpe 43. in bull. Cherub. declar. S. Congreg.

Quo-

16 Quoniam autem, qui altari inseruit, de altari viuere debet; propter temporum calamitates, & angustias, eleemosynam pro celebrandis Missis Sacerdotibus largiri solitam, tres carolenos esse statuimus. Pecuniæ autem, quæ pro Missarum celebratione, à fidelibus ex pia eorum voluntate Ecclesijs sunt legatæ, vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, mandamus vt pro illarum satisfactione ita applicentur, vt pro Missa quotidiè celebranda, non minus vncijs decem, & octo in annos singulos erogetur. *dict.S.Congreg. ad 5. quasitum*

In cæteris autem etiam si legatum sit adeo tenue, vt nemo sit, qui velit onus illi iniunctum subire, nihilominus pro reductione oneris vt supra impositi, ij, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam adeat; nisi in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Nobis iniunctum onus reducere, ac moderari. *ibid.ad 1.*

❧❧❧❧❧❧

CAP.

CAP. II.

De Ecclesiis ædificandis, reparandis, adornandis, earumque immunitate.

17 IAm inde à Catholicæ Religionis incunabulis mos fuit fidelibus Christianis, D. O. M. templa extruere, tum quod agnoscerent id Dei gratissimum, vt ipsa Diuina Maiestas miraculis ostendit; tum ad fidelium pietatem in Deum ipsum excitandam, cui plurimum augusta sacrarum ædium facies, & structuræ concinnitas conducere experientia didicimus. Hinc & ipsi Ethnici iurisconsulti, fauore Religionis sanciuere, vt pro Ecclesia construenda, ad vendendum suam domum quisque compelli posset. Cum igitur de ædificando templo deliberatur, ij potissimum erunt in consilium adhibendi, qui plurimum arte, atque ingenio hoc in genere valeant. Locus in primis eligendus est ille, qui opportunior videatur, populi capax, à prophanis ædibus disiunctus, & quoad fieri potest ab omni strepitu longè remotus. Forma autem ædificandæ Ecclesiæ

Cap. si quis sepul. ff. de relig. sumpt funer.

clesiæ cum multiplex esse possit, illa potior videtur ab Apostolicis ferè temporibus inducta, quæ Crucis formam exhibet. Magna autem ratio habeatur circa singulas Ecclesiæ partes construendas, pauimentum, tectum, atrium, vestibulum, ostia, fenestræ omnes; vbi commodè potest, clathris ferreis muniantur, altæ, vt qui foris stat, introspicere non possit.

18 Ara maxima eminentiori loco ponatur pro Ecclesię magnitudine. Marmoreum, alteriusuè similis materiæ vas aquæ benedictæ intus sit in Ecclesia à latere ingredientium dextro. Confessionalia ponantur patenti loco, ac conspicuo, quæ ferrea lamina paruis foraminibus interiectis, Cõfessarium à pœnitente seiungant, vt supra dictum est.

19 Si verò Parochialis sit Ecclesia, vel Collegiata, Chorus propè Altare maius à Populi statione secludatur, cancellis vndique septus, clauibusque obseratus, vt quo tempore diuina peraguntur, nullis pateat laicis, nisi forte Magistratibus, vbi hæc viget consuetudo. Suggestus etiam erigatur, decenti opere, & forma ab Euangelij latere, vnde sacra concio haberi possit. Nec non *Cap. 1. de uita & honest. cleric.*

vt situs Ecclesiæ feret, propè eius ostium decenti locó Baptisterium extruatur, siuè vas Baptismale, propè quod sit Sacrarium claue obseratum. Cætera Altaria pro loci opportunitate erigantur lapidea, non lignea, & ante quodlibet Altare lampas è lampadario pendeat haud modico interuallo, non à latere, sed è regione posito: fenestella sit, in pariete à parte Epistolæ constructa, ad peluim cum vrceolis ponendam, quæ si commodè potest, transuersali lapide diuidatur, vt pars inferior vsui sit ad aquam ablutionis proijciēdam.

20 Cuicumque templo sua adhereat Sacristia, ampla illa quidem, ac benè materiata, pro Templi magnitudine, & numero Ministrorum, in qua vas aquarium è marmore, quadratoué lapide perpolitum extet ad Sacerdotis manus abluendas. Adsint etiam ad abstersionem mantilia integra, ac nitida è tornatili ligno pendentia. Tabella item sit, in qua preces ad Missæ celebrationis præparationem pertinentes Sacerdos legat. Cæterum Sacristiam armarijs affabrè factis instructam esse oportet, in quibus sacræ vestes, ac reliqua Ecclesiastica supellex asseruetur. Adhæc, ap-

tus

tus ſtatuatur locus, apud quem Sacerdotes celebraturi ſacris veſtibus induantur. Item Oratoria, in quibus orare poſſint, cum tabellis precum ante, & poſt Miſſam: Demum Campanula muro affixa propè portam Sacriſtiæ.

21 Sepulchra ſolido lapide in fornicem ducantur; nec reponantur ſub altaribus, neque ſub eorum gradibus, nec omnino propè illa, aut intra Chori, vel Cappellæ maioris fines; neue è ſolo quicquam extẽt, ſiuè emineant, ſed illud planè adęquent. Porrò Eccleſiaſticorum, ac Laicorum ſepulchra nè confundantur; aptior ſcilicet illis, ac decentior locus aſſignetur: Immo ſi opportunitas feret, ne cum Clericis quidem inferiorum ordinum Sacerdotes promiſcuè ſunt humandi. *Cong Epiſ 6. Sept. 1593* *Pius V an. 1566.* *Rit. Rom.*

22 Admonentur etiam omnes Parochi, & Eccleſiarum Prępoſiti, Guardiani, Priores, &c. vt iuxtà vetuſtam, & laudabilem conſuetudinem, Paruulorum corpuſcula, non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis Cœmeteriorum, & Eccleſiarum Sepulturis, ſed vt pro illis ſpeciales, & ſeparatos ab alijs loculos, & ſepulturas habeant, in quibus non ſepeliantur niſi In- *Rit. Rom.*

fantes baptizati, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt.

23 Hæc quidem sunt, quæ ad interiorem Ecclesiæ structuram pertinent. Circa ea verò, quæ Ecclesiæ exterius adiuncta sunt, primum locum obtinet Campanile, quod quidem pro Templi ratione splendidè cõstruendum est, ædificetur autem loco foribus Ecclesiæ proximo: non sit omnibus peruium, in eoque nonnisi Campanæ benedictæ collocentur.

24 Cœmeteria, quæ ad excitandam fidelium charitatem, & conditionis humanæ memoriam instituta sunt, in ipso prospectu hominum ponantur; non eo loco tamen, qui pateat animalibus, vel seruitutibus, vel virorum deambulationibus, & congressibus: ampla esse debent, & Ecclesiæ adhærentia, vndequaque occlusa, & in eorum medio Crux è marmore, vel ligno erigatur. Habeat etiam, si commodè possit, vas aquæ benedictæ cum aliquo aspersorio ad aspergendi vsum. Ossa nullo pacto extra Cœmeterium conseruentur. Curandum est autem maximè, ne vllæ vites, aut arbores cuiusuis generis frugiferæ, & quæ nullum etiam fructum

affe-

afferunt, in ijs existant.

25 Cœterum nemo tum in Vrbe, tum in Diœcesi Ecclesiam, aut Cappellam ædificare præsumat, nisi potestate à Nobis facta, qui locum, ac omnia necessaria per idoneos viros recognoscenda curabimus. Nulli autem huiusmodi potestas fiet, quin prius Ecclesiam, aut Cappellam sufficienter dotauerit, certosque redditus addixerit: quod item fiet in Cappellis, & Ecclesijs ruralibus, & rusticanis.

26 Si Ecclesiæ iam constructę, vetustate, aliaue temporum iniuria collabantur, vel ruinam minentur, in ijs instaurandis, Sacrosanctæ Tridentinę Synodi decretum *sess. 21. c. 7.* districtè pręcipimus obseruandum.

27 Vt facilius sacra supellectile Ecclesiæ omnes sint instructę, & pro officiorum varietate, ac solemnitate apparatus omnis iuxtà rituum, ac temporum differentias distinguatur; Curandum enixè est, vt certis, tutisque facultatibus dotentur, quibus, cum opus fuerit, reparentur, & ornatus etiam omnis conseruetur. Templa igitur solemnioribus anni diebus ornatiora appareant, tum ad augustiorem cultum, tum ad fidelium consolationem, quo in appa-

ratu,

ratu, profanę omnes imagines arceantur; & Cęremoniale fel. record. Clem. VIII. iusſu editum, ac denuo SS. D. N. Innocent. IX. authoritate recognitum ſeruari pręcipimus.

28 Sit autem Altarium apparatus ſplendidus, ac decorus, adhibitis vaſis argenteis, aureiſque cum floſculis, frondibuſque odoriferis, aut ſerico inter textis. Cauendum tamen eſt, ne Altare ipſum, vel eius gradus, infimi ſupremiuè prophana gaza onerentur: ne argenteis hominum, aut belluarum, aut aliorum ſimilium ſtatuis exornentur, quę abacorum, armariorumq; ornamenta potiùs exiſtimantur.

29 Altaria ſingula tres mappas habeant mundas, oblongam vnam, quæ ad imam partem pertingat, reliquas breuiores, ſed quæ ſaltem aram lapideam ſacram contegant. Pallium item coloris diei feſto congruentis, tabellam ſecretorum, Crucem cum imagine Sanctiſſimi Crucifixi in medio collocatam, candelabra ad minus duo, Aram lapideam ſacratam medio altaris aptè inſertam, quæ ſaltem integram Hoſtiam, & maiorem Calicis partem capiat, & mappa cera obducta cooperiatur.

Ne

Ne autem puluere, aliaue sorde inquinentur, peracta Missa, tela, vel alio operimento contegantur: Scabellum à fronte altaris sit, ita productum, vt Sacerdos in eo commodè genuflectere queat. Imagines ipsæ, sacræ tabulæ, ac parietes perpetuò eniteant, & curæ Rectorum sit, vt Ecclesia saltem octauo quoque die diligenter verratur.

30 Habeant autem singulæ Ecclesiæ, quæcumque ad diuina mysteria celebranda, atque ad ipsius Ecclesiæ cultum, vsui futura videbuntur, nimirum, quæ Missæ Sacrificio inseruiunt, & quæ ad diuinorum officiorum splendorem, ad Sacramentorum administrationem, ad funeralia officia, & cætera munia suo ordine spectant: videlicet lampades vitreas mundas, cum subiectis patinis, quas lampadarias vocãt, Conopæa, quibus tabernaculum Sanctissimi Sacramenti decenter obtegatur, Cruces ad singula altaria cum imagine Crucifixi, candelabra cum operculis ad extinguendas candelas, tabellas secretorum, mappas lineas maiores, minoresque, pallia, vbi fieri potest, quinque, album, rubrum, viride, violaceum, nigrum; præterea,

rea, quæ ſunt pretioſiora, tapetum ſcabelli, ſeu bradellæ altaris, amictus Sacerdotales, albas, cingula, planetas cum ſtolis, ac manipulis; Calices, patenas, vela ſerica, corporalia, pallas, purificatoria, burſas, cottas, vrceolos, peluiculas vrceolorum, Miſſalia cum ſignaculis, puluinaria pro Miſſalibus, tintinnabula; Parochiales autem Eccleſiæ pro adminiſtratione Sacramentorum omnium habeant etiam pyxides pro conſeruanda Sanctiſſima Euchariſtia, & pro illa ad ægros ferenda, velum album ad contegendos Sacerdotis humeros, vmbellas, aſpergillum aquæ benedictæ, laternas, ceroferaria, tintinnabula grandiuſcula, ſeu geſtatoria, vaſa ſacrorum oleorum, vaſa pro laicorum purificatione, & mantilia ſubſtrata menſæ Communionis: lectorilia, libros pſalterij, antiphonarum, gradualium, hymnorum iuxtà nouiſſimã correctionem Vrbani Papæ VIII. Rituale, Sacerdotale, Cæremoniale. Parochiales item, & Collegiatæ habeant pluuialia, dalmaticas, tunicellas, thuribula, nauiculas cum cochlearibus. Demum Cathedralis Eccleſia paret induměta etiam Epiſcopalia, cæteraque quæ Archiepiſcopo

cele-

celebranti, vel ſacra peragenti, eiuſque miniſtris neceſſaria ſunt.

31 Caueant Eccleſiarum Rectores, alijque miniſtri, nè Eccleſiæ dirutæ materia, vt ligna, lapides, veſtes Sacerdotales, & reliqua ſupellex in prophanos vſus conuertantur ſine noſtra facultate: nec ad domeſticum vſum adhibeant, vt alijs vtenda concedant. Alienanda autem, & vendenda, nè tradantur, niſi in caſibus à iure permiſſis, ac de noſtra licentia ſpeciali.

32 Vt autem Eccleſiarum vtilitati, qua par eſt, ratione conſulatur, præſenti conſtitutione præcipimus, vt vniuerſa ſupellex ipſa in Eccleſia aſſeruetur, non in domibus laicorum quouis titulo, aut prætextu. Donaria, & alia ornamenta à fidelibus voti, ſeu Religionis cauſſa ſemel oblata, nè in ipſorum ædibus retineantur, ſed cum cætera ſupellectile reponantur: quapropter paret vnaquæque Eccleſia, prout per facultates licebit, armaria ampla pro ſacris indumentis, quæ capſulas ductiles habeant diſtinctas, ac latè patentes, item loculos pro ſacris corporalibus, pallis, purificatorijs, burſis, velis: nec non armariola ad recondendos calices, patenas, reſque ex

argento conflatas, quæ omnia seris, & clauibus proprijs obseruentur. Curæ autem sit Præfectis Ecclesiarum, vt nitoris, & munditiæ ratio habeatur, nec vlli mutuo dentur: si quæ verò ornamenta fieri contigerit prætiosiora, & magni sumptus, ea ne fiant Nobis inconsultis: in quibus omnibus transgressores arbitratu nostro mulctentur.

Exod. 21. n. 35. Deuteron. 19. Iosue 20. 3. Reg. 2.

33 Refugium delinquentium, quod olim in ueteri lege, quin, & apud Gentes Asyli nomine constitutum fuit, multò præstantius conuenit Ecclesijs, quæ Viui, ac Veri Dei domicilia sunt, vbi tot, tantaque diuina Mysteria celebrantur. Hinc illud Sac. Tridentina Synodus Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutum esse docuit. Quicumque igitur ad Ecclesias confugerit, tum ob ciuilem, tum ob criminalem caussam, inuitus inde abstrahi nullo modo potest: si quis verò sæcularis minister ausu temerario indè illum extrahere, vel abducere præsumpserit, ipso facto Canonum pœnas incurrat.

Sess. 25. c. 20

34 Nè autem Ecclesia videatur perditorũ hominum Asylum, nec spes immunitatis, & impunitatis occasionem, & incentiuum

præ-

prębeat delinquendi, Bullam felicis recordationis Gregor. Papę XIV. ad vnguem obſeruari pręcipimus, ac mandamus. *Conſ. cum alias 7 in bull. Cber.*

35 Si quis verò immunitatis gratia ſe in Eccleſiam recipiet, earum Rectores, ſiuè Sęculares, ſiuè Regulares, rem infra viginti quatuor horas ad Nos, vel noſtrum Vicarium Generalem deferant: ſi ſecus fiat, Parochis quidem excommunicationem latę ſententię, & ſuſpenſionem à diuinis indicimus; Regularibus interdictũ; cæteris Cappellanis, præter prædictas, officij priuationem: Rectores Laici eamdem excommunicationem incurrent, prę-ter alias pœnas arbitrio noſtro prædictis omnibus irrogandas.

36 Eiuſmodi facultates ad hos homines recipiendos, niſi noſtra, aut noſtri Vicarij Generalis manu ſint ſubſcriptæ, nemini ſuffragentur: qui ſecus admiſerit, pœnis deſuper expreſſis ſubijciatur.



CAP. III.

De Ecclesia Cathedrali, eiusque Ministris.

37 Cathedralem Panormitanam Ecclesiam Gualterius eius Antistes, vetere diruta, extruxit, & Assumptæ Virgini dedicauit Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo quinto Guilelmo Secundo Rege Siciliæ; & Nos, inducto marmorato tectorio, laxatisque fenestrarum angustijs ad lumen excipiendum, & ad arcendas temporum iniurias, vitreis clathris obseptis, additisque ad parietes coronis in elegantiorem, & splendidiorem formam ære nostro redegimus, & exornauimus. Ea, quæ est cæterarum Ecclesiarum Mater festum diem suæ consecrationis agit Kalẽdis Augusti, qui solemni ritu per Vrbem colitur, vt moris est. Eius Ministri sunt Cantor, Archidiaconus, Decanus, Canonici, Personatus, Viuanderij, Cappellani, Sacristæ, qui personæ dignitatem sustinere debent, & statis certisque temporibus, officia diuina cele-

brare iuxtà præſcriptum Cæremonialis Clement. VIII. primum, nunc denuò SS. D. N. Innocent. X. authoritate recogniti.

C A P. I V.

De Officio Cantoris.

38 CAntoris igitur Dignitas Prima eſt poſt Pontificalem in noſtra Eccleſia Cathedrali. Is in Choro ſemper eſt Maior, quamuis Archiepiſcopo Pontificalia exercenti aſſiſtat. Nullum in eadem Eccleſia habet maiorem ſe præter Archiepiſcopum, aut Capitulum legitimè congregatum. Eius prouincia erit curare vt diuina officia debita religione, ac pietate celebrentur, ſuum vt quiſque munus accuratè peragat, frequenter ſuadere; in diebus ſolemnibus, & Canonicalibus Miſſæ celebrandæ partes diſtribuere, & abſentium vicem alijs demandare; altare honorificè veſtiendum, & cereos, cum tempus erit, accendendos curare; cæteraq; diuinis officijs neceſſaria cōparare, & ab organo modulationes prophanas amouere.

39 Solemnioribus etiam feſtis, & Canonicalibus

calibus diebus tertio Campanæ signo vesperarias, ac matutinas preces significari iubeat. Cæterum in alijs diebus certas horas Sacristæ constituat, quibus statæ preces exsoluendæ sint, vt vnius, vel plurium campanarum signis, pro more Ecclesiæ ministros admoneat, populumque conuocet. Curet præterea, ne qua in ministris, ac ministerijs religio, & diligentia desideretur. Quoniam vero illi potestas est quemlibet è choro iusta caussa eijciendi, id, absolutis officijs, iuxta delicti grauitatem efficiet. Mulctas autem ob defectum aliquem ab eo semel irrogatas, nullatenus iam remittere possit.

40 Archiepiscopo solemniter Missam, aut Vesperas decantanti, vel Pontificalia exercenti, cum cæteris Canonicis assistet; eoque absente, illius vice Missas ipse decantabit; candelas in die Purificationis B. Mariæ Virginis benedicet; cineres feria Quarta in capite ieiunij fidelibus imponet; & ramos oliuarum in Dominica Palmarum distribuet.

41 Maiores anni solemnitates, ac generales item Processiones, Vrbis Præfecto; & Senatui enunciet, ac in ijs peragendis, ne quid

quid indecorum fiat, studiosè curet.

42 Canonicorum conuentus, seu capitula (in quibus prima dabit suffragia) cum fuerit requisitus, vel ei opus videbitur, cogat: nec vllo pacto sinat, vt leges, probatæque consuetudines infringantur.

43 Archiepiscopo, aut aliquo ex Canonicis vita functo, publicis, priuatisque precationibus, ac sacrificijs, illorum animas iuuari, itemque anniuersaria pro tempore celebranda, non omitti sedulò curabit, & Archiepiscopi mortem suffraganeis Episcopis significabit, quo tempore, iuxta Archiepiscopatus curam, dum sedes vacauerit, vna cum Canonicis suscipere debet: atque etiam in eius obitu seruare Bullam fel. record. Pij Papæ V. quoad ornamenta, paramenta, res sacras, aliaque bona ad vsum, & cultum diuinum spectantia. *Const. 42. incipit Romani Pont. in bul. Cherub. to. 2.*

CAP. V.

De Officio Archidiaconi.

44 ARchidiaconi dignitas secunda est in nostra Ecclesia Cathedrali: qui, græca voce in latinam versa, non malè Ministrorum

Cap 1. dist. 21. cap. Diacon. 1. dist. 93. Trid. sess 24. ca. 12. c. 1. de offic. Arch.

strorum Princeps interpretatur, & à Sacris Canonibus oculus Episcopi non immeritò nuncupatur: omnia enim circumlustrare, & perscrutari eum oportet. Nobisque indicare, quid agendum, quidue prohibēdum sit, quo Ecclesiastica disciplina, cultusq; diuinus cōseruetur, & augeatur.

45 Magister in Theologia, seu Doctor, aut licentiatus in iure Canonico esse debet: Cantori proximè succedit, eoque absente, primas habet in Ecclesia, eaque munia peraget, quæ præcedenti capite sunt annotata.

46 Proprium munus illius est, Nobis sacrum, aut Pontificalia peragentibus, aut aliàs sacris interuenientibus à dextris assistere: promouendos ad Ordines, vel prima tonsura initiandos, probatos iam, & examinatos, Nobis præsentare; sacrorum oleorum consecrationi, & sacris ordinationibus præsentem esse, ibique eas omnes functiones exercere, quæ in libro Pontificali recensentur.

Cap. ad hæc c. ad nostr. de offic. Archid. c. uni. de Scrutin in ordin. faciend. c. Acolitus et cap. ostiar. dist. 23.

47 Diligenter inquirat in Vrbe, eiusque substituti in Diœcesi, an matrimonium contracturi, alijs nuptijs sint impediti, & nonnisi testes idoneos, ac iuratos cum cau-

tione

tione consueta recipiant, ac præscriptam iurium taxationem nullatenus excedant.

CAP. VI.

De Officio Decani.

48 DEcani dignitas tertia est in nostra Ecclesia Cathedrali, qui in eius decorem, ac venustatem, diuinique cultus augmentum à fel. record. Clem. Pap. VII. Anno Domini 1531. institutus, tertius est à Cantore, stallumque habet in Choro ante cęteros Canonicos: feria V. in Cœna Domini, Archidiacono, in sacrorum oleorum consecratione detento, à sinistris Archiepiscopi assistet.

49 Atq; hæc quidem Tertia Dignitas Primo Canonicatui, eiusque Præbendæ Millenariæ Canonicali, & illius possessori, ac successori pro tempore existenti, ac legitimè intranti, vna cum iuribus, & prouentibus alijsque ad illam legitimè spectantibus, perpetuò æquè principaliter vnita est.

Habet præterea perpetuò sibi adnexa duo tenuissima beneficia S. Viti, & S. Barbaræ nuncupata.

C A P. VII.

De Canonicis.

Cap. Nouit. de iis q. fiunt a Prælat. c. antep 12. q. 2.

50 CAnonici, qui Fratres Episcopi Consiliarij à sacris Canonibus sunt constituti: quamobrem olim eorum Collegiũ Consilium Episcopi dicebatur; quod hodie Capitulum ab eius capite, quod est ipsemet Episcopus, appellamus: in nostra Cathedrali Ecclesia vltra Cantorem, & Archidiaconum, viginti duo numero sũt, nempè sex millenarij, totidem centenarij, duo Portus, duo Sancti Nicolai nuncupati, Regij sex, perpetui Comendatarij Abbatiæ insulatæ S. Io. Eremitarum, ex Regali munificentia Felic. record. Carol. V. Imperatoris Regis, ac Domini nostri, hisce sex Canonicatibus vnitæ, cum regij iuris patronatus reseruatione. Ex antiquo Ecclesiæ instituto ita per Sacros Ordines distribuuntur, vt sex millenarij cum quatuor primis centenarijs Sacerdotes sint, reliqui duo centenarij, Portus, & D. Nicolai sint Diaconi; Regij omnes Subdiaconi: quippe si sex millenarijs, & quatuor cente-

centenarijs, Cantor, & Archidiaconus, annumerentur, fit, vt dimidia pars ipsorum sint Presbyteri, quod est decretum Concil. Trident.

51 Habitus Canonicalis est Mozzetta violacea super Rocchettum.

52 Quicumque Canonicatum fuerit adeptus, ex Tridentinæ Synodi decreto, intra duos menses à die possessionis initæ, emittat fidei professionem, non solum coram Archiepiscopo, seu eius Vicario, sed etiam in Capitulo, sub pœnis ibidem constitutis. Omnes verò diuina per se, & non per substitutos obire debent officia, & Archiepiscopo celebranti, aut Pontificalia exercenti assistere, & inseruire, cumque tùm euntem, tùm redeuntem de more vsque ad ædes comitari; in Choro Dei nomen reuerenter laudare, vitamque, & mores sic componere, tam in Ecclesia, quam extrà illam, vt verè Ecclesiæ Senatus dici possint. *S. Cong. Rituum et Cærem. Rom.* *Trid. sess. 24 c. 2.*

53 Nemo absentis sedem in Choro occupet, sed quisque in proprio stallo permaneat. *S. Congre. Rit in una Capuana 12. Martii 1618. et in Placent. 15 Maii 1632.*

54 Capitularibus colloquijs intersint, eisque á Spiritus Sancti oratione, initium fa-

ciant: neque conuentus dimittatur, nisi eiusdem oratione recitata, nec quispiam sine Maioris, & Capituli venia discedat: suum quisque ordinem teneat tam in sedendo, quam in sententia dicenda: neminem dicentem interpellent, & à verbis scurrilibus, & iocosis prorsus abstineant. Rerum Capitularium deliberationes fiant per occulta suffragia, secus sint irrita, & nulla.

55 Nemo ex Canonicis, quid in Capitulo fuerit intimatum, vel capitulariter dictum, audeat extra Capitulum reuelare: & si quis contrafecerit, per hanc constitutionem decernimus tertia parte fructuum Canonicatus fore priuatum; & qui denunciauerit reuelantem secreta Capituli, habeat tertiam partem eiusdem tertiæ partis dictorum fructuum, & credatur dicto denunciatori cum vnico teste tantum, iuxtà decretum Concilij Prouincialis Panormitani celebrati Panormi anno 1388. per Dominum Ludouicum Secundum Bonitum Archiepiscopum Panormitanum, cũ assensu DD. Episcoporum Agrigentini, Mazariensis, & Meleuitani.

56 Si rixæ, & contumeliæ inter aliquos obo-

oboriantur, id ad Nos extemplò deferatur, qui delinquentem plectemus; prout culpę ratio postulabit.


57 Primus Canonicus, qui sibi vnitam habet Decanatus dignitatem; Cantore, & Archidiacono absentibus; ea omnia tam in Choro, quam in Capitulo peraget, quæ Cantori superius sunt assignata; quæ etiam præstabit quilibet alius Canonicus, qui Maior reperietur.

58 Vnusquisque suis functionibus, muneribusque satisfaciat iuxtà ordinem in infrascripta tabella explicatum, & ex peruetusto Ecclesię more seruatum, quem etiam obseruandum in posterum damus.

59 Decreto Sacrę Congregationis cautum est, vt dimidia pars Canonicorum qualibet hebdomada alternatim diuinis officijs intersint, ita distributi, vt in vna intersit Cantor; Tres Canonici Millenarij Maiores: tres maiores centenarij: Primus Canonicus de Portu, & primus Canonicus S. Nicolai nuncupati, & tres minores Canonici S. Ioannis Eremitarum. In altera Archidiaconus, tres Millenarij minores: tres minores centenarij: Secundus Canonicus de Portu, & Secundus S. Nicolai nuncupati:

pati: & tres maiores S. Io. Eremitarum. Id tamen ea moderatione est intelligendum, vt nè aliquis eorum vltrà tres menses quolibet anno ab Ecclesia absit. Cæterum distributiones eo tempore nō percipiat, nisi in casibus à iure permissis. Permutatio autem hebdomadarum, vel earum partis, inter ipsos fieri consueta, locum non habeat in diebus, in quibus omnes simul diuinis interesse tenentur.

60 Diuinum officium in nostra Cathedrali in quatuor, quoad Canonicos decem, & octo; quoad verò Canonicos S. Io. Eremitarum in octo vices dispertitum est, quas puncta nuncupamus. Ad lucrandos igitur fructus, seu præbendas, satisfieri declaramus, si per nouem menses quotidiè vna vice, seu puncto respectiuè intersint: ad lucrandas autem distributiones, omnibus punctis per sex menses in sua quique hebdomada adesse debet: poterit tamen ita permutare vices, vt si in sua vacet hebdomada, partes suas alteri committat, & in altera suppleat iuxtà Sacræ Congregationis rescriptum.



CAP.

CAP. VIII.

De Varlis Muneribus per Canonicos obeundis.

61 QVotannis, ineunte mense Septembri, duo ex Canonicis à Capitulo Rectores Sacelli B. Virginis destinantur; qui illius redditus, & bona ex hereditatibus obuenientia, iuxtà defunctorum dispositiones administrent. Curabunt, vt sacellum decenter pro tempore ornetur, redditus exigantur, & lampades statis temporibus iuxtà morem, & numerum constitutum prælucean: & vt Procurator ab ipsis eligendus, prospiciat, vt cereæ faces, sacelli pecunia comparandæ, singulis quibusque Sabbatis ad Litanias decantandas, & ad Missas solemniores, & Vespertinas preces, quæ sunt Canonicorum partium, sonæ accendantur.

63 Semel saltem in Mense consultationes habeant simul conuenientes conuocato rationum Magistro; & pecunias ad matrimonia puellarum ineunda additas, ne vtiquam in alios vsus conuertant. Habeant

in

in Templo armariolum clauibus obſeratum, in quo codices, & tabulæ rationum ſacelli tutò cuſtodiantur.

64 Præterea duo Canonici à Nobis deputandi ad complenda pia legata pro Miſſis celebrandis relicta, diligenter ea omnia in publicam Tabellam relata, in ſacriſtia affigi curent, vt in proſpectu ſit omnium, & facilius executioni mandentur: ad illos etiam pertinet inuigilare, nè deſint candelæ, cerei, hoſtiæ, & vinum, cæteraque neceſſaria ad Sacroſãctam altaris Hoſtiam immolandam. Præterea ea ſeruent, quæ à Nobis, ſupra cum de Sacrificio Miſſæ, illis conſtituta ſunt.

65 Inſuper alij duo à Nobis itidem pro Seminarij cura iuxtà Tridentinam Conſtitutionem deputandi, ſedulò curent, vt ea omnia, quæ pro recto Seminarij regimine, ab eadem S. Tridentina Synodo, & à Nobis decreta ſunt, debitæ executioni mandentur: ſi quid verò denuò conſtituẽdum, emendandum, & corrigendum ipſis viſum fuerit, Nobis continuò deferant. Singulis ſaltem mẽſibus in Seminario inſimul cum illius Rectore conueniant, ab eoque menſtruæ adminiſtrationis rationẽ petant,

ſeſſ.23.c.18

petant, eamque in libro ad id destinato redactam, prout moris est, proprijs nominibus subscribant.

66 Pecunias, quæ ex annuis redditibus, & quibuscumq; alijs prouentibus obueniunt, apud Vrbis tabulam Seminarij nomine reponendas curent: nec inde extrahi sinant, nisi ad Syngraphas nostri Vicarij Generalis, ipsorum Deputatorum, ac Rectoris subscriptionibus obsignatas.

67 Adhæc duo quoque Canonici deputentur, qui Marămerij nuncupătur, ad administranda bona Parochialis Ecclesiæ S. Iacobi, quorum alter à Nobis, alter à Capitulo eligi debet: qui omnem adhibeant diligentiam, vt nihil commissi sibi muneris prætermittant: Singulis saltem mẽsibus, & ipsi conueniant, datique & accepti à Thesaurario, seu Procuratore, alijsuè illius Maragmatis officialibus rationem exigant: & pecunias quoquomodo ad illam Ecclesiam pertinentes, apud Tabulam eiusdem Ecclesiæ nomine reponi curent; indeque nonnisi ad Apodixas ipsorum subscriptionibus obsignatas extrahantur: eo autem tempore, quo conueniunt, distributiones lucrentur.

68 Denique quotannis quoque à Nobis Canonicus eligatur Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Præfectus,qui etiam Marammerius appellatur. Is promptos habeat libros accepti, expensique Nobis, vel nostro Vicario Generali singulis annis exhibendos. Singulis verò hebdomadis, prout moris est,conueniat in locum ad id designatum, cum alio fabricæ Præfecto, seu Marammerio ab huius Vrbis Senatu pro more eligendo, alijsque eiusdem Maragmatis officialibus, de rebus ad hanc rem spectantibus consultationes habituri. Pecunias quascumque ex fidelium eleemosynis, annuis redditibus, legatis, male ablatis, & quibuscumque alijs prouentibus obuenientes, nè apud se vllo modo retineat,nec Thesaurarium,seu vt vocant,Depositarium apud se retinere permittat; sed apud præfatam Vrbis Tabulam Maragmatis, vel hæreditatum nomine reponendas præcipiat: indeque extrahi non sinat, nisi ad syngraphas amborum Marammeriorum, & fidei commissariorum, vbi adsunt,prout hactenus obseruatum est.

69 Pecuniæ verò,quæ ex certis legatis,piaque fidelium dispositione proueniunt,

apud

apud eamdem Tabulam, prout modo sancitum est, iam reposita, nullo prorsus alij vsui applicentur, sed legatarijs ipsis asseruentur. Puellarum verò nubendarum electiones eo ipso die omnino faciat, qui ex defuncti voluntate fuerit constitutus; super quibus omnibus illius conscientiam summopere oneramus.



CAP. IX.

TABELLA

SECVNDVM ORDINEM
Disposita Eorum,

Qui sunt in Ecclesia Cathedrali officia
diuina peracturi.

MENSE IANVARIO.

1 *Circumcisio Domini.*

R.D.Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.

 Epist.

Epiſt. Quintus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

6 *Epiphania Domini.*

Illuſtriſs. & Reuerendiſ. D. Archiepiſcopus.
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epiſt. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis per vices,
Omnes Canonici parati.

20 *SS. Fabiani, et Sebaſtiani Mart.*

R. Subcantor.
Euang. Primus ex Beneficiatis.
Epiſt. Quartus ex vltimis Sacerdotibus Beneficiatis.
Pluuialia duo.

MENSE FEBRVARIO.

2 *Purificatio* B. M. V.

R. D. Cantor.
Euang R. D. Secundus Diaconus.
Epiſt. Primus ex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

5 *S. Agathę V. et M.*

R.D. Primus Presbyter nũc etiã Decanus.
Euang. Tertius Diaconus.
Epiſt. Tertiusex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

24 *S. Matthiæ Apoſt.*

R. D. Septimus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epiſt. Nonus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE MARTIO.

19 *S. Ioſeph Confeſs.*

R. D. Decimus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epiſt. Duodecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

25 *Annunciatio* B. M. V.

R. D. Quintus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.

Epiſt.

Epist. Septimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE APRILI.

25 *S. Marci Euangel.*

R. Terminator.
Euang. Secundus ex Beneficiatis.
Epist. Ante penultimus ex Sacerdotibus Beneficiatis.
Pluuialia duo.

MENSE MAIO.

1 *SS. Philippi, et Iacobi Apostoli.*

R. D. Octauus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Decimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

3 *Inuentio S. Crucis.*

R. D. Decimus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Duodecimus ex beneficiatis.

Plu-

Pluuialia quatuor.

Translatio S. Christinę V. M. in secunda Dominica

R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Secundus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

MENSE IVNIO.

10 *S. Oliuę V. et M.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Quartus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

16 S. *Mamiliani Episcopi, et Mart.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Quartus ex Bene ficiatis.
Pluuialia sex.

24 *Natiuitas S. Io. Baptistæ.*

R. D. Nonus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Vndecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

29 *SS. Petri, et Pauli Apost.*

Illustriss.& Reuerendiss. D. Archiepiscopus
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis per vices.
Omnes Canonici parati.

MENSE IVLIO.

2 *Visitatio* B. M. V.

R. D. Sextus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Octauus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

9 *S. Agathonis Pap. et Confess.*

R. D. Primus Presbyter nūc etiā Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epiſt. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

15 *Inuentio S. Roſaliç Virginis.*

R. D. Cantor.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epiſt. Primus ex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

22 *S. Mariæ Magdalenç.*

R. D. Primus Presbyter nūc etiā Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epiſt. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

24 *S. Chriſtinç virginis, et Mart.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epiſt: Quartus ex Beneficiatis.

Pluuialia sex.

25 *S. Iacobi Apost.*

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Quintus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE AVGVSTO.

1 *Dedicatio Ecclesiæ.*

R. D. Primus Presbyter nunc etiam Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

6 *Transfiguratio Domini.*

R. Magister Scholæ.
Euang. Tertius ex Beneficiatis.
Epist. Penultimus ex Sacerdotibus Beneficiatis.
Pluuialia duo.

S. Lau-

10 *S. Laurentii Mart.*

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epiſt. Sextus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

15 *Aſsumptio B. M. V.*


Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Archiepiſcopus.
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epiſt. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis.
Omnes Canonici parati.

24 *S. Bartholomæi Apoſt.*

R. D. Octauus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epiſt. Decimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

pati: & tres maiores S. Io. Eremitarum. Id tamen ea moderatione eſt intelligendum, vt nè aliquis eorum vltrà tres menſes quolibet anno ab Eccleſia abſit. Cæterum diſtributiones eo tempore nõ percipiat, niſi in caſibus à iure permiſſis. Permutatio autem hebdomadarum, vel earum partis, inter ipſos fieri conſueta, locum non habeat in diebus, in quibus omnes ſimul diuinis intereſſe tenentur.

60 Diuinum officium in noſtra Cathedrali in quatuor, quoad Canonicos decem, & octo; quoad verò Canonicos S. Io. Eremitarum in octo vices diſpertitum eſt, quas puncta nuncupamus. Ad lucrandos igitur fructus, ſeu præbendas, ſatisfieri declaramus, ſi per nouem menſes quotidiè vna vice, ſeu puncto reſpectiuè interſint: ad lucrandas autem diſtributiones, omnibus punctis per ſex menſes in ſua, quique hebdomada adeſſe debet: poterit tamen ita permutare vices, vt ſi in ſua vacet hebdomada, partes ſuas alteri committat, & in altera ſuppleat iuxtà Sacræ Congregationis reſcriptum.



CAP.

CAP. VIII.

De Variis Muneribus per Canonicos obeundis.

61 QVotannis, ineunte mense Septembri, duo ex Canonicis à Capitulo Rectores Sacelli B. Virginis destinantur, qui illius redditus, & bona ex hereditatibus obuenientia, iuxtà defunctorum dispositiones administrent. Curabunt, vt sacellum decenter pro tempore ornetur, redditus exigantur, & lampades statis temporibus iuxtà morem, & numerum constitutum præluceant: & vt Procurator ab ipsis eligendus, prospiciat, vt ceræ faces, sacelli pecunia comparandæ, singulis quibusque Sabbatis ad Litanias decantandas, & ad Missas solemniores, & Vespertinas preces, quæ sunt Canonicorum partium, senæ accendantur.

63 Semel saltem in Mense consultationes habeant simul conuenientes conuocato rationum Magistro, & pecunias ad matrimonia puellarum ineunda additas, ne vtiquam in alios vsus conuertant. Habeant

in

in Templo armariolum clauibus obſeratum, in quo codices, & tabulæ rationum ſacelli tutò cuſtodiantur.

64 Præterea duo Canonici à Nobis deputandi ad complenda pia legata pro Miſſis celebrandis relicta, diligenter ea omnia in publicam Tabellam relata, in ſacriſtia affigi curent, vt in proſpectu ſit omnium, & facilius executioni mandentur: ad illos etiam pertinet inuigilare, nè deſint candelæ, cerei, hoſtiæ, & vinum, cæteraque neceſſaria ad Sacroſãctam altaris Hoſtiam immolandam. Præterea ea ſeruent, quæ à Nobis, ſupra cum de Sacrificio Miſſæ, illis conſtituta ſunt.

65 Inſuper alij duo à Nobis itidem pro Seminarij cura iuxtà Tridentinam Conſtitutionem deputandi, ſedulò curent, vt ea omnia, quæ pro recto Seminarij regimine, ab eadem S. Tridentina Synodo, & à Nobis decreta ſunt, debitæ executioni mandentur: ſi quid verò denuò conſtituẽdum, emendandum, & corrigendum ipſis viſum fuerit, Nobis continuò deferant. Singulis ſaltem mẽſibus in Seminario inſimul cum illius Rectore conueniant, ab eoque menſtruæ adminiſtrationis rationẽ

ſeſſ.23.c.18

petant,

petant, eamque in libro ad id destinato redactam, prout moris est, proprijs nominibus subscribant.

66 Pecunias, quæ ex annuis redditibus, & quibuscumq; alijs prouentibus obueniunt, apud Vrbis tabulam Seminarij nomine reponendas curent: nec inde extrahi sinant, nisi ad Syngraphas nostri Vicarij Generalis, ipsorum Deputatorum, ac Rectoris subscriptionibus obsignatas.

67 Adhæc duo quoque Canonici deputentur, qui Marámerij nuncupātur, ad administranda bona Parochialis Ecclesiæ S. Iacobi, quorum alter à Nobis, alter à Capitulo eligi debet: qui omnem adhibeant diligentiam, vt nihil commissi sibi muneris prætermittant: Singulis saltem mēsibus, & ipsi conueniant, datique & accepti à Thesaurario, seu Procuratore, alijsuè illius Maragmatis officialibus rationem exigant: & pecunias quoquomodo ad illam Ecclesiam pertinentes, apud Tabulam eiusdem Ecclesiæ nomine reponi curent; indeque nonnisi ad Apodixas ipsorum subscriptionibus obsignatas extrahantur: eo autem tempore, quo conueniunt, distributiones lucrentur.

68 Denique quotannis quoque à Nobis Canonicus eligatur Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Præfectus, qui etiam Marammerius appellatur. Is promptos habeat libros accepti, expensique Nobis, vel nostro Vicario Generali singulis annis exhibendos. Singulis verò hebdomadis, prout moris est, conueniat in locum ad id designatum, cum alio fabricæ Præfecto, seu Marammerio ab huius Vrbis Senatu pro more eligendo, alijsque eiusdem Maragmatis officialibus, de rebus ad hanc rem spectantibus consultationes habituri. Pecunias quascumque ex fidelium eleemosynis, annuis redditibus, legatis, male ablatis, & quibuscumque alijs prouentibus obuenientes, nè apud se vllo modo retineat, nec Thesaurarium, seu vt vocant, Depositarium apud se retinere permittat; sed apud præfatam Vrbis Tabulam Maragmatis, vel hæreditatum nomine reponendas præcipiat: indeque extrahi non sinat, nisi ad syngraphas amborum Marammeriorum, & fidei commissariorum, vbi ad sunt, prout hactenus obseruatum est.

69 Pecuniæ verò, quæ ex certis legatis, piaque fidelium dispositione proueniunt,

apud

apud eamdem Tabulam, prout modo ſancitum eſt, iam repoſita, nullo prorſus alij vſui applicentur, ſed legatarijs ipſis aſſeruentur. Puellarum verò nubendarum electiones eo ipſo die omnino faciat, qui ex defuncti voluntate fuerit conſtitutus: ſuper quibus omnibus illius conſcientiam ſummopere oneramus.



CAP. IX.

TABELLA

SECVNDVM ORDINEM Diſpoſita Eorum,

Qui ſunt in Eccleſia Cathedrali officia diuina peracturi.

MENSE IANVARIO.

1 *Circumciſio Domini.*

R.D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.

 Epiſt.

5 *S. Agathę V. et M.*

R.D. Primus Presbyter nũc etiã Decanus.
Euang. Tertius Diaconus.
Epiſt. Tertiusex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

24 *S. Matthia Apoſt.*

R. D. Septimus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epiſt. Nonus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE MARTIO.

19 *S. Ioſeph Confeſſ.*

R. D. Decimus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epiſt. Duodecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

25 *Annunciatio* B. M. V.

R. D. Quintus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.

Epiſt.

Epist. Septimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE APRILI.

25 *S. Marci Euangel.*

R. Terminator.
Euang. Secundus ex Beneficiatis.
Epist. Ante penultimus ex Sacerdotibus Beneficiatis.
Pluuialia duo.

MENSE MAIO.

1 *SS. Philippi, et Iacobi Apostoli.*

R. D. Octauus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Decimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

3 *Inuentio S. Crucis.*

R. D. Decimus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Duodecimus ex beneficiatis.

Plu-

Pluuialia quatuor.

Translatio S. Christinę V. M. in secunda Dominica

R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Secundus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

MENSE IVNIO.

10 *S. Oliuę V. et M.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Quartus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

16 *S. Mamiliani Episcopi, et Mart.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Quartus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

24 *Natiuitas* S. *Io.Baptistæ.*

R. D. Nonus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Vndecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

29 *SS. Petri, et Pauli Apost.*

Illustriss.& Reuerendiss. D. Archiepiscopus
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis per vices.
Omnes Canonici parati.

MENSE IVLIO.

2 *Visitatio* B. M. V.

R. D. Sextus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Octauus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

S. *Aga-*

9 *S. Agathonis Pap. et Confess.*

R. D. Primus Presbyter nũc etiã Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

15 *Inuentio S. Rosaliæ Virginis.*

R. D. Cantor.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Primus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

22 *S. Mariæ Magdalenæ.*

R. D. Primus Presbyter nũc etiã Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

24 *S. Christinæ virginis, et Mart.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist: Quartus ex Beneficiatis.

Pluuialia ſex.

25 *S. Iacobi Apoſt.*

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epiſt. Quintus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE AVGVSTO.

1 *Dedicatio Eccleſia.*

R. D. Primus Presbyter nunc etiam Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epiſt. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia ſex.

6 *Transfiguratio Domini.*

R. Magiſter Scholæ.
Euang. Tertius ex Beneficiatis.
Epiſt. Penultimus ex Sacerdotibus Beneficiatis.
Pluuialia duo.

10 *S. Laurentii Mart.*

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Sextus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

15 *Assumptio B. M. V.*

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus.
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis.
Omnes Canonici parati.

24 *S. Bartholomæi Apost.*

R. D. Octauus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Decimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE SEPTEMBRI.

4 *S. Rosaliæ Virginis.*

R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Secundus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

8 *Natiuitas* B. M. V.

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Sextus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

Translatio S. Nimphæ Virg. et Mart. in Dominica Tertia.

R. D. Primus Presbyter nũc etiã Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

21 *S. Matthæi Apost. & Euang.*

R. D. Nonus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Vndecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

29 *Dedicatio S. Michaelis Archangeli.*

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Quintus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE OCTOBRI.

28 *SS. Simonis, & Iudę Apost.*

R. D. Decimus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Duodecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MEN-

MENSE NOVEMBRI.

1 *Festum Omnium Sanctorum.*

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus.
Euang. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis.
Omnes Canonici parati.

2 *Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum.*

R. Magister Cappellanus.
Euang. Quartus Beneficiatus.
Epist. Vltimus ex Sacerdotibus Beneficiatis.

12 *S. Nimphæ Virg. et Mart.*

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Quartus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

21 *Præsentatio B. M. V.*

R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Secundus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

29 *Missa uotiua de SS. Sacramento ad Instantiam Regis Nostri Catholici.*

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Quintus ex Beneficiatis.

30 *S. Andreæ Apostoli.*

R. D. Septimus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Nonus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

MENSE DECEMBRI.

8 *Immaculata Conceptio B. M. V.*

R. D. Cantor.

Euang.

Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Primus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

13 *S. Luciæ Virg. et Mart.*

R.D. Primus Presbyter nūc etiā Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Tertius ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

21 *S. Thomę Apostoli.*

R. D. Nonus Presbyter
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Vndecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

24 *Vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.*

Martyrologium leget.
R. Magister Cæremoniarum.

25 *Natiuitas D. N. Iesu Christi.*

Illustriſs. & Reuerendiſ. D. Archiepiſcopus.
Euang.

Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR.DD.Canonicis Subdiaconis per vices,
Omnes Canonici parati.

26 *S. Stephani Protomart.*

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Sextus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

27 *S. Ioannis Apost. & Euangel.*

R .D. Quintus Presbyter
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Septimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

28 *SS. Innocentium Mart.*

R.D. Sextus Presbyter
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Octauus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

DISTRIBVTIO FESTORVM MOBILIVM.

Consecratio Illustrissimi, et Reuerendissimi Domini Archiepiscopi.

R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Secundus ex Beneficiatis.

Dominica Septuagesima.

R. D. Quintus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Septimus ex Beneficiatis.

Feria IV. Cinerum.

Missam R. D. Cantor.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epist. Primus ex Beneficiatis.

Dominica I. Quadragesimæ.

R. D. Sextus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.

Epist. Octauus ex Beneficiatis.

Dominica II. *Quadragesimæ.*

R. D. Octauus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Decimus ex Beneficiatis.

Dominica III. *Quadragesimæ.*

R. D. Nonus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Vndecimus ex Beneficiatis.

Dominica IV. *Quadrages.*

R. D. Quintus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Septimus ex Beneficiatis.

Dominica Passionis.

R. D. Octauus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Decimus Beneficiatis.

Dominica Palmarum.

R. D. Cantor.
Euang. R. D Secundus Diaconus.
Epift. Primus ex Beneficiatis.

Feria Quinta in Cœna Domini.

Matutinum R. D. Cantor.
Miſſam Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Archiepiſcopus.
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Ep. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis
Omnes Canonici parati.

Feria Sexta in Paraſceue.

Matutinum R. D. Archidiaconus.
Miſſam R. D. Cantor.
Euang. R. D. Secundus Diaconus,
Epift. Primus ex Beneficiatis.

Sabbato Sancto.

Matutinum R. D. Primus Presbyter nunc etiam Decanus.
Miſſam R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epift. Secundus ex Beneficiatis.

Do-

Dominica Resurrectionis.

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus.
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis per vices.
Omnes Canonici parati.

Feria Secunda post Pascha.

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Sextus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

Feria Tertia post Pascha.

R. D. Sextus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Octauus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

Dominica in Albis.

R. D. Septimus Presbyter.

Euang. Quintus Diaconus.
Epist. Nonus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

Ascensio Domini nostri Iesu Christi.

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epist. Quartus ex Beneficiatis.
Pluuialia sex.

Vigilia Pentecostes.

R. Magister Cappellanus.
Epist. Quartus ex Beneficiatis.
Epist. Vltimus ex Sacerdotibus Beneficiatis.

Dominica Pentecostes.

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus.
Euang. R. D. Primus Diaconus.
Epist. Vnus ex RR. DD. Canonicis Subdiaconis.
Omnes Canonici parati.

Fe-

Feria Secunda post Pentecost.

R. D. Septimus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Nonus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

Feria tertia post Pentecost.

R. D. Nonus Presbyter.
Euang. R. D. Sextus Diaconus.
Epist. Vndecimus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

Festum SS. Trinitatis.

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Quintus ex Beneficiatis.
Pluuialia quatuor.

In Solemnitate Corporis Christi.

R. D. Cantor.
Euang. R. D Secundus Diaconus.
Epist. Primus ex Beneficiatis.

Plu-

Pluuialia ſex.

Feria Sexta infra Octauam.

Miſſam R. D. Archidiaconus.
Euang. R. D. Secundus Diaconus.
Epiſt. Secundus ex Beneficiatis.

Sabbato infra Octauam.

R. D. Primus Presbyter nūc etiā Decanus.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epiſt. Tertius ex Beneficiatis.

Dominica infra Octauam.

R. D. Secundus Presbyter.
Euang. R. D. Tertius Diaconus.
Epiſt: Quartus ex Beneficiatis.

Feria Secunda infra Octauam.

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epiſt. Quintus ex Beneficiatis.

Feria tertia infra Octauam.

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Sextus ex Beneficiatis.

Feria quarta infra Octauam.

R. D. Quintus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Septimus ex Beneficiatis.

Octaua Corporis Christi.

R. D. Sextus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Octauus ex Beneficiatis.

IN PROCESSIONE

Sanctissimum Corpus Domini Nostri Iesu Christi deferet.

R. D. Cantor.

Dominica Prima Aduentus.

R. D. Quintus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Septimus ex Beneficiatis.

Dominica secunda Aduentus.

R. D. Sextus Presbyter.
Euang. R. D. Quintus Diaconus.
Epist. Octauus ex Beneficiatis.

Dominica tertia Aduentus.

R. D. Tertius Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Quintus ex Beneficiatis.

Dominica quarta Aduentus.

R. D. Quartus Presbyter.
Euang. R. D. Quartus Diaconus.
Epist. Sextus ex Beneficiatis.

Cæterum si aliæ Missæ infra annum occurrerint decantandæ, vltimis quatuor R R. D D. Canonicis Presbyteris per ordinem distribuantur.

C A P. X.

De Officio Thesaurarii.

70 THesaurarius, cuius electio, seu potiùs nominatio, siuè præsentatio ad Nos, & ad Senatum Panormitanum alternis vicibus spectat, statim ac electus fuerit, bona omnia in inuentarium relata in suam fidem, custodiamque adhibita idonea spósione recipiet, videlicet supellectilem Ecclesiæ vniuersam, thecas cum Sacris Reliquijs, vasa argentea, & aurea, anulos, & pretiosas margaritas, sacras mitras, singu-

la in numero, & pondere à Nobis, à Magistratu Vrbis, & Ecclesiæ Oeconomis; seu fabricæ Præfectis.

71 Habeat autem sacristas quatuor, quos sæpius inuisat, vt omnem in suo munere diligentiam adhibeant: eorum autem curæ sit Sedem Archiepiscopalem sternere: stata signa tintinnabulorum pulsibus dare: Ecclesiæ ianuas tum claudere, tum aperire; Canonicos, cum Capitulum cogitur, conuocare: aquam benedicendam fontibus infundere: pallia, lintea mina altaris, & cuncta vtensilia Ecclesiæ, expensis fabricæ procurare, & sedulò conseruare: nec non thesauri ædiculam, in qua Archiepiscopus Pontificalia peracturus sacris vestibus induitur, decenter ornare.

72 Curet præterea, ne thuris copia pro thuribulis vnquam desideretur: paschalem item cereum pondo librarum septuaginta quinque, thurisque globos quinque pro Sabbato Sancto, cereosque consueti ponderis, ac numeri pro festorum varietate, ad diuina officia nocturna, diurnaque peragenda, tam pro altari, quàm etiam pro Choro, cum opus erit demore exhibeat: ne vnquam lampades extinguantur in

ædicu-

ædicula Thesauri in conspectu Sacrarum Reliquiarum, in Sacellis Christi Crucifixi, S. Michaelis Archangeli, & D. Christinæ. Item vt Cereus Paschalis statis diebus iuxtà huius Cathedralis Ecclesiæ morem accendatur, vt diu noctuque ardeant cerei à Panormitano Senatu tributi in solemnitatibus SS. Patronarum, vt lampades ad imagines Sancti Onufrij, & S. Antonij de Padua interdiu ardeant: dieque Commemorationis omnium Defunctorum adsint cerei viginti pondo librarum quinarum ante Tumulos Serenissimorum Imperatorum, & Regum ab initio Missæ, vsque ad finem absolutionis accensi. Quæ omnia ex suis prouentibus præstabit.

73 Apud se habeat clauem vnam ianuæ ligneæ Sacelli S. Christinæ, alteram tabularum, priuilegiorum, & iurium Archiepiscopalium, quæ in Ecclesiæ thesauro asseruantur.

74 Paratos habeat indices bonorum omnium, quos Nobis, vel nostro Vicario Generali, aut fabricæ Præfectis quotannis exhibeat.

75 Sacrum Chrisma, & olea infirmorum,

& cathecumenorum quolibet anno consecrari solita, vasis decentibus, quæ denuo Nos ampliora conflari fecimus, ac loco tuto asseruanda studeat, Parochis tum Vrbanis, tum Diœcesanis gratis subinde distribuenda; nomina item Ecclesiarum, & eorum, qui ab illarum Rectoribus ad olea suscipienda missi fuerint, in libro ad id comparato, notet.

76 Ad hæc verò omnia exequenda illius, qui id munus exequitur, industria personæ electa planè intelligitur: ac proinde; cum tertiam Præbendæ Millenariæ portionem obtineat, indigeatque Ordinarij institutione; hoc præsenti Synodali decreto huiusmodi officium, seu beneficium ad residentiam obstringere declaramus.

CAP. XI.

De Officio Subcantoris.

76 SVbcantor primus è Clero, primumq; post Canonicos locum obtinet: perpetuò sibi adnexum habet beneficium Ecclesiæ S. Nicolai de pauperibus; aliaque duo in eadem Ecclesia, nimirum S. Antonij

nij de Padua, & SS. Cosmæ, & Damiani, in quorum quidem solemnitatibus Missam decantabit. Eius est Clerum cogere, & in eiusmodi conuentibus, seu Collegijs primum ferre suffragium: Sacrarum cæremoniarum vsum, ac diuina officia ritè celebrandi rationem probè calleat: curetque vt cantus in Choro sint graues, pij, distincti, diuinis laudibus accomodati, iuxtà psallendi munus; quod habetur in Gradualibus, Antiphonarijs, Psalterijs: efficiatque, vt verba intelligantur ad pietatem auditorum, rerumque cęlestium meditationem excitandam: nihilque circa canendi, & præcinendi modum admittatur, quod non sit iuxtà præscriptam formam Cæremonialis Romani Editi iussu fel. record. Clem. Papæ VIII. & SS. D. N. Innoc. X. auctoritate recogniti.

78 Ipse præit cantibus psalmorum, hymnorum, & Missarum, cum præcipuè primæ Chori partes sunt assignatæ lateri, in quo ipse residet, iuxtà nostrę Ecclesię morem. Qui verò ipsius absentis partes supplet, eiusdem fructuum portionem adipiscatur.

79 Antiphonam maiorem ad Vesperas tē-

pore Aduentus, quæ canitur die XVII. Decembris Cantori præintonabit, eoque absente, Maiori de Capitulo. Et Archiepiscopo diuina ſolemniter peragente, tam in matutinis, quam veſpertinis horis, quæ præcinendæ ſunt, Canonicis cantu Gregoriano ſuggeret, eoſdemque, atque etiam Viuanderios thure ex conſuetudine adolebit.

Tertium campanæ ſignum ferialibus, & pro feſtis diebus pro ſacris horis celebrandis, indicet.

C A P. XII.

De officio Terminatoris.

80 TErminator Cathedralis Eccleſiæ, eo nomine, ex vetuſta conſuetudine, nuncupatus, peraget vniuerſa, quæ ad officium Magiſtri Cæremoniarum ſpectant, ac proinde Eccleſiaſticorum rituum, & diuinorum officiorum erit diligens perſcrutator, cui muneri vt ſatisfaciat, ad ſe intelligat pertinere omnia, quæ in Cæremoniali Epiſcoporum ſtatuuntur.

81 Habet adnexum perpetuò beneficium Eccle-

Ecclesiæ S. Marci; in cuius festo Missam in eadem Ecclesia decantabit, Personatum in Ecclesia obtinet secundum à Subcantore: permittitur illi vestis inferior violacei coloris, super quam, dum diuina officia celebrantur, cottam induet.

82 Eius partium erit, quale sit officium denunciare, simplex ne, an duplex, de festo, an de feria; quæ item lectiones, Psalmi, Antiphonæ, Orationes recitandæ. Breuiarium matutinis horis præparare, Analogio, seu Disco à Clericis imponendum. Item curare, vt pallia, sacræ vestes, coloris festo congruentis, exhibeantur.

83 Quapropter per singulas hebdomadas proponet in sacristia tabellam, in qua sit descriptus ordo recitandi officij, & Missæ celebrandæ, & ministrorum, & inseruientium; exceptis tamen diebus solemnibus, & Canonicalibus, quod Cantoris munus est.

84 Aedituos quoque seu Chori Sacristas, pro festorum varietate, de accendendis, & extinguendis lampadibus moneat, atque etiam cogat. Et quidem sumptibus mensæ Archiepiscopalis diuinorum officiorum tempore septem ardere debent,

(quarum vna diu, noctuque colluceat) & Archiepiſcopo ſolemniter celebrante treſdecim. Fabricæ verò expenſis toto diurno, nocturnoque tempore vna in medio templi, alia in ſacello SS. Crucifixi, alia ante imaginem S. Roſaliæ, alia in ſacello Diui Caroli, alia in conſpectu SS. Reliquiarum Virginum tutelarium: At interdiu dumtaxat ardeant, vna ante aram S. Annæ, alia ante aram S. Mariæ ad Niues, & aliæ duæ in conſpectu ſupradictarum Reliquiarum tutelarium Virginum. Quãdo autem Canonici ſoleniter diuina peragunt oſſicia, octo lampades, celebrante verò Archiepiſcopo, vel ſacris SS. Virginum Reliquijs in templo expoſitis, triginta eiuſdem Fabricæ ſumptu colluceant. Simul cum cereis omnibus in medio Chori.

85 In Sacerdotem celebrantem præmoneat, & cum miniſtris, ad quos miniſtrandi, & inſeruiendi vices pertinent, opportune tractet, nè aliquid in agendo, canendouè fiat, quod tempori, & feſtorum rationi minus conueniat.

86 Acolitis, Ceroferarijs, cæteriſque Clericis inſeruientibus præerit, vt vniuerſa ritè, ac ordine fiant, ac pacis oſculum, quibus

bus ex dignitate debetur, imperabit.

Ijs autem, qui in Choro aderunt, significabit quando ſtandum, quando caput inclinandum, aperiendumue, quando genua flectenda.

Porrò illi incumbit ſtatuere Sacriſtis, quota hora matutinæ ſalutationis Angelicæ ſignum dandum ſit, quando item ad horas tertias pulſandum.

87 Ad hæc omnia facilius exequenda Collegam alterum habebit de corpore eiuſdem Eccleſiæ, qui ſecundus Terminator appellatur, de quo infra, vt miniſtros, cum opus eſt, ducat, reducat: Vnus quidem alterius defectum, cum opus erit, cum modeſtia, ac ſilentio ſuppleat: ambo tamen ſimul conueniant, concordeſque ſint, ne reprehendi ab alijs iure poſſint, qui docere, & inſtruere omnes debent.

88 Ad illum etiam ſpectat in Proceſſionibus, quæ de more fiunt, curare, vt Viuanderij, ac reliqui de Clero ſumma modeſtia, ac reuerentia procedant, & vt omnes decenti habitu, & ſuperpelliceis induti, ſine galeris bini ſuo quiſque loco progrediantur.

CAP. XIII.

De officio Magistri Scholæ.

89 MAgister Scholæ, tertius à subcantore in choro, eoque absente illius munia peraget. Ipsius in primis erit, Clericos litterarum studijs informare, cohortationibus assiduis iuuare, honestis, probisque moribus imbuere. Non solum autem in re litteraria, & moribus progressum, sed, si quem etiam in litteris nihil proficientem deprehenderit, tertio quoque mense Canonico, cui eorumdem clericorum curam demandabimus, renunciabit.

Curet præcipuè, vt semel in mense noxas per confessionem expient, ac Sacrosancto Christi corpore se reficiant.

90 Habeat apud se Clericos sex pro horis Canonicis choro inseruituros, ritè canendi, psallendique rationem edocebit: si quis autem horum defuerit, alterum sufficiet, absentis distributionem adepturum, quæ nimirum consistit in modijs duodenis tritici, singulis in singulos annos distribuen-

ſtribuendis. Neminem item illorum Choro ſine veſte talari, ac cotta munda intereſſe patiatur.

91 Quæ quidem, vt accuratius executioni mandentur; Canonicum deputabimus, qui id ſtudioſè curet, habeatque facultatem huiuſmodi clericos recipiendi, atque etiam expellendi, prout ei videbitur expedire.

92 Circa verò præcantiones; eadem præſtabit Magiſter Scholæ, cum primæ Chori partes aſſignantur lateri, in quo ipſe reſidet, quæ ſeruanda ſtatuimus Subcantori: qui verò ipſius abſentis partes ſupplebit, eiuſdem fructuum portionem lucrabitur.

Carbones etiam pro thuribulis præſtabit: ſacros quoque libros Clericis pro diuinis officijs choro inſeruientibus ſuppeditabit.

C A P. X I V.

De officio Magiſtri Cappellani.

93 MAgiſter Cappellanus quartum habet perſonatum, & Rector eſt Sacelli SS. Sacramenti, eique imminet cura ani-

animarum Parochię Cathedralis iuxtà dispositionem Bullæ Clementis VIII. de reformatione Parochiarum. Quare omnia, quæ de Sacramentorum administratione Parochis omnibus seruanda statuimus, ad se in primis ita pertinere intelligat, vt in his rebus ritè gerendis reliquis Parochis, quos omnes præcedit, exemplo etiam præeat. Omniaque ad vnguem seruet, quæ in præfata Bulla præcipiuntur.

94 Exteris, qui in Vrbe domicilium non habent, cæterisque omnibus, qui extrà Vrbem in planitie commorantur, quippe intrà terminos Parochiæ Cathedralis constitutis, Sacramenta ministrabit: ijs tamē exceptis, qui in Parochia suburbij degunt.

95 Habeat apud se tres Cappellanos, sumptibus Senatus alendos, quorum ministerio in animarum cura iuuetur. Et hi quidem Sacramenta de more ministrabunt, atque Parochiæ suæ Baptizatorum, confirmatorum, compatrum, matrimonio iunctorum, ac Matrimonij testium nomina, in suos quosque libros referent.

96 Item habeat tres Clericos coadiutores, sumptibus eiusdem Senatus alendos: ac, vt

vt expeditior sit in administrandis Sacramentis, si noctu contigerit, Thesaurarij Sacristarum opera vtatur. Qui quidem non solum lampades accendere, sed quæcumque ad Sacramenta ministranda nocturno tempore sunt necessaria, tam in Ecclesia, quam extrà illam, tenentur exhibere.

97 Aquam benedictam renouandam curet singulis saltem hebdomadis, quam ipse benedicet.

Oleum in lampades ante SS. Eucharistiam perpetuò lumen præbituras, sumptu item Senatus, & ex alijs piorum hominum legatis suppeditandum curet: efficiatque ne id cæteris lampadibus, nimirum duabus pro ferialibus, quatuor pro festiuis diebus Ecclesiæ de fabricæ pecunia accendendis, desit.

98 Itidem certos, & stati ponderis cereos, cum diuina peraguntur officia, de more in dicto Sacello accendendos sedulò curabit. Quod etiam præstabit, quo tempore diebus festis Sacra Pyxis ad populum SS. Eucharistia reficiendum velo obtecta super ara collocatur: & in Sacello S. Michaelis Archangeli in diebus festis Dedicatio-

catio-

cationis, & Apparitionis eiusdem, ac etiam in festo S. Bernardi Abbatis cereas faces senas iugiter ardentes suppeditabit.

99 Quæcumq; autem ad Sacellum SS. Sacramenti ritè, & pro temporibus ornandum, pallia, linteamina, mappas, pluuialia, cæteraque indumenta Ecclesiastica, tam pro altari, quam pro ministrandis Sacramentis necessaria sunt, sacrista in promptu habeat, ac requisitus exhibeat.

100 In funeribus autem mortuorum, antequam cadauera domibus efferantur, si adsit Capitulum, non inspergat aquam benedictam sine licentia Cãtoris, aut maioris de Capitulo; nec illius Cappellani sine licentia Viuanderij, qui Vicarius est Capituli, quando nimirum non adest Capitulum; quod etiam seruent omnes Parochi, seu eorum Cappellani.

Illius etiam erit officia diuina peragere in Completorijs per octauas ferias Corporis Christi in subsellio Subcantoris, vel Terminatoris quo latere erunt Chori partes: atque etiam in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum.

Demum, quæ ad iurisdictionem, præheminentiam, præcedentiam, aliaque iu-

ra.

ra Parochiæ Cathedralis Ecclesiæ, ac vigore quarumlibet sententiarum quomodolibet spectare dignoscuntur, ea omnia illibata conseruari præcipimus, & mandamus.

CAP. XV.

De Canonico Magnæ Vineæ Nuncupato.

101 IN nostra Ecclesia Cathedrali adhuc retinetur nomen vnius Canonici magnæ Vineæ nuncupati, qui præbendam habet tenuissimam, & ex Viuanderijs ab Archiepiscopo solet eligi, nec vllum habet peculiare munus, & quintum inter Personatus locum obtinet, cum quibus communia habet insignia, cereosque; ac etiam portiones, quæ ex solemnibus pompis, ac exequijs obueniunt, cum Canonicis æquales.



CAP. XVI.

De officio Secundi Terminatoris.

102 AD nostræ Panormitanę Ecclesię cõmodum, & decorem, vt accuratius diuina officia, sacrisque ritibus congruentiùs peragantur, dûdum consultum est, alium è Viuanderijs Cæremonijs pręficere, ac veluti Secundum Terminatorem Primi adiutorem subrogare, qui personatus nomen obtinet: cuius intererit curare, vt sacros ritus, seu Cæremonias iuxta morem Ecclesiæ Romanæ omnes adamussim seruent.

103 Is ijsdem insignibus, & honoribus ornatur, quibus Primus Terminator, cæterique Personatus gaudent; eodemque iure, quo illi, à reliquorum Viuanderiorum oneribus eximitur.

Primi absentis vices ipse supplere debet, prout antea de primo Terminatore constitutum est.



CAP.

CAP. XVII.

De Viuanderiis.

104 VIuanderij, seu Beneficiati, quorum omnium electio, ad Nos liberè spectat, eorumque habitus est Almutium superpelliceo impositum, continuo Chori seruitio adstricti sunt: quapropter vnusquisque ad illius disciplinam sese maximè studeat componere: Ad omnia Chori munia ritè obeunda, quam maximè instructos esse necesse est, ac præsertim Cantus firmi peritos esse oportebit: hinc enim salarium decem aureorum in singulos annos iam dudum constitutum est Magistro, qui eos, ceterosque Ecclesiæ clericos quatuor anni mensibus Maio, Iunio, Iulio, Augusto, hanc canendi rationem edoceat. Viuanderij, qui Cantum Gregorianum non probè callent, infra sex menses illum sedulò ediscant, quibus elapsis si chori disciplinæ non integrè satisfecerint, omnibus duorum mensium fructibus priuentur: crescente verò contumacia, nec per alios sex menses illum edocti pro absenti-

ſentibus habeantur, nec beneficij fructus deinceps lucrentur quoad vſque illius peritiam adepti fuerint: niſi nimia ætate excuſentur.

105 Sunt autem omnes Viuanderij vna cũ Perſonatibus numero quadraginta. Et quidem exceptis ipſis Perſonatibus, antiquiore Viuanderio, ac Secundo Terminatore, qui iam perſonatus nomen obtinuit, ceterorum dimidia pars Diaconorum, altera Subdiaconorum munere in ſacris fungi debet, ac per hebdomadas iuxta præſcriptum ordinem inſeruiant. Abſentium vices illi ſupplebunt, qui fuerint à Chori Præfecto deſignati, non ſolum autem eam diſtributionis partem abſentes amittent; ſed ei, qui fuit in abſentium locum ſuffectus, perſoluent quantum à Præfecto Chori, ſtipendij fuit aſſignatum.

106 Dum in Eccleſia ad officia diuina conueniunt, ſigno audito, præparent ſe ad diuinas laudes, & in ſacriſtia ſuperpelliceum cum Almutio aſſumant: ſuum quiſque locum in choro adeat iuxta antiquitatis ordinem; ſeruentque ſalutationes fieri conſuetas, ac ea omnia, quæ in cap. de diuinis officijs præfinita erunt: ac præſertim

infra c.24. nu.135. et ſeq.

offi-

officium priuatim ne legant; ſed inſimul cum alijs canant; nec è Choro exeant, niſi officio perſoluto: quod ſi aliud neceſſitas poſtulauerit, id ne faciant, niſi à Maiore obtenta facultate. Proceſſionibus interſint omnes ſub pœna amittendi Vrbis diſtributiones per menſem: quæ intereſſentibus proceſſioni omnino accreſcant.

107 Si quem ex Canonicis in Eccleſia oſſenderint, gradum ſiſtant in reuerentię ſignificationem: extra Eccleſiam illos debita ſalutatione præueniant: in ſacriſtia verò, tam in ſacris veſtibus induendis, quã in acceſſu ad altare, ipſis locum dent. Archiepiſcopo autem ad Eccleſiam eunti reuerenter in valuis Eccleſiæ obuiam eant.

108 Cum Capitulum ad funus aduocatur, Viuanderij omnes conueniant, & ex ijs nemo, niſi iuſta ex cauſſa ſine Cantoris, aut Maioris licentia diſcedat; ſecus abſentis diſtributio præſentibus accreſcet. Cereos autem, tum hic, tum alibi Canonicorum cereis dimidio minores, geſtabunt.

109 Ne verò feſtiuis, & ſolemnibus diebus, frequentiori populo, Sacerdotum penuria, Miſſæ ſacrificium deſit, Viuanderijs

omni

omnibus expreſsè prohibemus, ne ijs diebus extra Cathedralem Eccleſiam celebratum eant, modo ſolitam eleemoſynam nouerint non defuturam : qui non paruerit arbitratu noſtro mulctabitur.

110 Nuſquam conueniant Congregationis, aut colloquij titulo, vel pretextu, quin prius Nobis deferant, quid proponēdum, quiduè diſcutiendum fuerit ; mox verò quid deliberationis cœperint, Nobis ex templo renuncient; nullo autem caſu Nos cateruatim adeant, ſed eligant duos, vel tres, qui id præſtent nomine cæterorum.

111 Quoniam autem Viuanderijs (quatuor exceptis Perſonatibus) competunt fructus quidam incerti ex quarta funerum prouenientes, qui ſingulis eorum Presbyteris ſorte eligendis per bimeſtre ſpatium adducuntur; munus adiunctum habent aſſiduè Eccleſiæ aſſiſtendi, & funera cum altero Capituli Vicario proſequendi : quod accurate, & ſine mora præſtabunt, & diligenter in libro Cleri ære parando, adnotabunt defunctorum nomina, diem, & ſacram ædem, in quam inferuntur. Qui id, abſolutis duobus menſibus, neglexerint, ſeuerè noſtro arbitratu punientur.

Qui

Qui autem ex Viuanderijs noſtra præhabita facultate ita ab Eccleſia aberit, vt nullos beneficij fructus lucretur, ad illius beneficij onera minime teneatur, ſed eius vices cæteri ſuppleant, inter quos abſentiæ fructus diuiduntur.

CAP. XVIII.

De officio Vicariorum.

112 AD diuina officia ferijs, & feſtis minus ſolemnibus peragenda, ſex Viuanderij, qui Canonicorum vices per hebdomadas, ipſorum ſumptibus, obeant, ſuffecti ſunt, & Vicarij nuncupati. Eorum munus eſt Horas Canonicas, & Antiphonas in Canticis B. Virginis, & Zachariæ exordiri: Abſolutiones, Benedictiones, Capitula, preces, & Orationes cantare, Miſſaſque celebrare: cum Choriſtis, pſalmos præcinere Matutinis precibus, Laudibus, & Veſpertinis; ac etiam hymnorum verſiculos, & Antiphonarum in memorijs, ſeu Commemorationibus Sãctorum. Item Canonici ſolemniter ſacra facientis lateri, tamquam Cappellanum, aſſidere; Miſſa-

Missale euoluere, ac certis signaculis prænotare. Præterea Canonicis diuina officia canentibus præire: tenentur etiam bini in publicis supplicationibus, litanijs maioribus, & Rogationibus cum Pluuiali psalmos, & litanias præcinere. Item singulis bimestribus Capituli vices obire in efferendis cadaueribus defunctorum, illorumque nomina libello Capituli sumptibus emendo, fideliter describere, & assiduè Ecclesiæ hac ex caussa interesse. Fructuum portiones absentibus detractæ præsentibus accrescant.

C A P. XIX.

De officio Choristarum.

113 AD diuinarum modulationum elegantiam, & decorem consultum est, senos è Viuanderijs ab Archiepiscopo eligendos, sacrorum officiorum cantui præficere, qui, & vocis suauitate, & canendi peritia cæteros præcellerent; vt non cursim, aut confusè horas Canonicas, sed deuotè, & cum pausa recitantes, reliquos cohibeant, ne nimis, quàm par sit, præpro-

propere præueniant, aut accelerent; ij communiter Choristæ nuncupantur.

114 Horum partes ſunt, in hebdomada quemque ſua, cum Capituli Vicario inuitatorium, primoſque pſalmorum verſiculos præcinere; atque Canonicis officia diuina peragentibus, tam in matutinis, quã in Veſpertinis horis cantu præire, & reliqua de more præſtare.

115 Archiepiſcopo ſolemniter celebrante, eorum erit Antiphonas abſolutis pſalmis ad Analogium repetere, & breuia reſponſoria cantare.

Ad illos autem præcipuè ſpectat libros ſacrarum precum pro diuinis officijs cantu Gregoriano modulandarum, & à Clericis Analogio imponendos, ab Aedituis requirere, eoſdemque inſertis faſciolis pro feſtorum, ac temporum varietate diſtinguere. Abſentium verò portiones præſentibus accreſcant.

CAP. XX.

De officio Sacriſtæ Maioris.

116 SAcriſta Maior, qui Theſaurum, & res omnes à Theſaurario Eccleſiæ in

 ſui

ſui cuſtodiam recipit, ſupellectilis vniuerſæ, vaſorum, & indumentorum munditiei, nitorique conſulat. Vinum, hoſtias, cæteraque ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium neceſſaria ſummo mane præparet, Altaria decenter ornet pro temporum, ac feſtorum varietate, ac ne puluere fortè ſint obſita, quotidie extergenda curet; aquam item in fontibus conſecrandam bis ſaltem in hebdomada præparet.

117 Veſtes ſacras, volumina, ac reliqua Eccleſiæ vſui addicta, certis armarijs aſſeruet, ne ſitu, puluere, & quouis alio inquinamento ſordeſcant.

Caueat autem, ne qua ornamenta ſacris deſtinata, ad prophanum vſum accomodare audeat.

Calices argenteos ab omni parte integros, corporalia, pallas, purificatoria mũda, ac nitida ſtudioſè comparabit.

Quæcumque ad Sacramẽta miniſtranda requiſita ſunt, in promptu habeat, eaque omnia ſeruet, quæ ſupra de ornatu Eccleſiæ decernuntur. Sacras reliquias ex Theſauri ædicula ad Aram maximam ſtatis diebus proferri curet qua decet pietate, ac religione; quo circa, qui eas defert,

ſu-

ſuperpelliceo, ac ſtola ſit indutus, duobus ſaltem adhibitis accenſis cereis grandioribus. Abſolutis autem in Eccleſia aſſuetis ſupplicationibus, ipſius intererit eas populos venerandas, & deoſculandas exhibere.

118 Horis à Cantore præſtitutis, campanarum ſono ſignum det Matutini, & Veſperarum; ac cum iam omnes in ſacriſtiam conuenerint, cottiſque induti fuerint, acceſſum in Chorum, officiorumque initium campanula ſignificet. Arceat è Sacriſtia laicos homines; ſermones de inanibus prophaniſque rebus, multo magis iurgia, & rixas procul indè amoueat.

Item curet, ne Infideles Miſſæ ſacrificio interſint; ne ſint in Eccleſia deambulationes, mendicantium vagationes, & cætera, quæ in cap. de ornatu Eccleſię ſtatuuntur.

119 Diu, noctuque Eccleſiæ intereſſe debet: iccirco extra eam nullo modo cubitum eat: ideo enim ſtatam à Senatu Panormitano percipit ſtipem: quamobrem, poſtquam diligenter de nocte omnes Templi angulos ne quis forte lateat, circumſpexerit, Valuarum claues apud ſe cautè

ſeruet; & ſi ex Viuanderijs eligatur, ad lucrandos beneficij fructus tempore diuinorum officiorum ſuperpelliceo, & Almutio induatur.

CAP. XXI.

De officio Curatoris Miſsarum.

120 QVoniam ex pijs defunctorum voluntatibus, & eleemoſynis nonnullæ Miſſæ in Eccleſia Cathedrali celebrandæ ſunt; vt facilius executioni mandentur, præter Deputatos Canonicos, Curator vnus erit ex gremio eiuſdem Eccleſiæ à Nobis eligendus, qui pecunias eo nomine collatas accuratè in libro proprio ſumptu parando adnotet: conſignet præterea diem, quo celebratum ſit ſacrum, nominaque Sacerdotum, quibus ſtipem diſtribuit.

Si quando tamē abeſſe contigerit, ne audeat alium ſubrogare inconſulto Maiore Capituli, ſiuè Maior ſit in Sacriſtia, ſiuè in Choro, vel alibi, dummodo in Eccleſia reperiatur.

Vinum, & hoſtias petet à menſa Archiepi-

chiepiſcopali, vt moris eſt; candelas, & cereos à fabricæ Præfectis.

Plures duobus Sacerdotes eodem tempore ſacrificij cauſſa ſacris veſtibus indui ne ſinat, qui, vt compoſitè, decenterque veſtiti prodeant, ſummopere ſtudebit.

121 Rationes autem dati, & accepti exhibebit in ſingulos menſes Deputatis Miſſarum.

Eleemoſynæ, quæ pro Miſſis celebrandis in dies à fidelibus offeruntur, aſſeruandæ erunt in capſula ferrea, quæ duabus clauibus obſerata in hunc finem fuerit comparata; claues autem Canonici Miſſarum Deputati penes ſe retineant, caueantque ne penes Curatorem plus pecuniæ remaneat, quam quæ ſufficiens ſit ad Miſſas vna, aut altera die celebrandas.

Caueat, ne ſtipem pro funeribus, & Miſſis erogatam in Choro diſtribuat; ſed peractis ſacris, ſeorſim in Sacrarium conuocatis eam elargiatur.

Habeat in ſacriſtia tabellam vnam, in qua Miſſæ ex impoſitis oneribus beneficiorum in Cappellis, & Altaribus Eccleſiæ, ab ijs, qui ea beneficia obtinent celebrandæ ſuo ordine ſint expoſitæ: quas, ſi

quis

quis celebrare omiserit, Nobis continuò renunciet.

CAP. XXII.

De officio Punctatoris, seu Falterii.

122 PVnctator, seu Falterius Canonicorum, & Viuanderiorum absentiam à diuinis officijs notet, & in libro punctationum, siuè (vt aiunt) faltarum, scribat omnes, quicumque ij fuerint, qui sacras horas, & diuina officia non obierint, & qui vices illorum suppleuerint, nec vllius odio, amore, metu, aut spe moueatur: neminem iniuria notet; nec notandum prætermittat: librum punctationum diligenter custodiat, eumque singulis hebdomadis Cantori exhibeat.

123 Vt autem hoc officium melius exerceatur, & nemini aliquid iniustè, aut remitti, aut adimi possit, præter electũ à Capitulo, alter Punctator à Nobis creetur, qui iure iurando apud Nos præstito, altero in libro notet omnes, Canonicos etiã Regios, qui suo muneri defuerint, ac notatos singulis itẽ hebdomadis Nobis renunciet.

Pun-

124 Punctatores ambo octauo quoque die punctationum notas inter se conferant, & si qua in re discrepauerint, nullam distributionum rationem supputent, quin Nos consulant, qui controuersiam omnem arbitratu nostro dirimemus.

125 Quo tempore in officio Punctatores, & quilibet eorum permanserint, sacris horis, & officijs omnibus intersint, nisi absint de licentia eius, qui Choro præest, quo tempore alium ab eodem chori Præfecto probandum substituant; secus vnius diei distributionem amittent.

Vicariorum, & Choristarum absentias peculiari libro, vel saltem nota describant, singulis quibusque mensibus; quoad Vicarios spectat, Magistro Communerio de illis rationem reddituri: quoad Choristas in fine anni, ei, ad quem iuxta morem Ecclesiæ pertinet.

CAP. XXIII.

De Fructuum Applicatione.

126 CVm in nostra Cathedrali Ecclesia non adeo tenues distributiones extent,

tent, sed tertia pars fructuum Dignitatum, Canonicatuum; ac cæterorum officiorum diuidenda sit; quin imo ex Catholici Regis nostri liberalitate, ac munificentia, & annuo censu ex redditibus Ciuitatis Panormi persoluendo iuxta formam Bull. Clem. VIII. super reformatione Parochiarum, sint auctæ, non sunt adeo negligendæ, vt simul cum præbendis sustinendo decenti Canonicorum gradui sufficere non videantur; quare iuxta mentem Tridentini decreti sancimus, vt illas, qui statis horis interfuerint, recipiant; Reliqui quauis collusione, aut remissione exclusa, ijs careant. Quin imo iuxta Bonifac. VIII. decretum, qui aliter de distributionibus ipsis receperit, exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta, & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusarit, rerū sic receptarum dominium non acquirat, nec eas faciat suas; imo ad omnium restitutionem teneatur. Itaque omnes diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia; quod si quis absuerit, iuxta infrascriptam formam distributiones amittat.

sess. 24. c. 12.

c. 1. de Cler. non resident in 6.

127 Si quis autem iam de infirmitate conua-

ualuerit, ac per Vrbem deambulauerit, ad Eccleſiam tamen non acceſſerit, diſtributiones non adipiſcatur: nec item candelæ, & cerei funeralium dentur abſentibus, licet infirmis.

128 Procurator Capituli ſupputatis ex libro Punctationum abſentiæ diebus, tertio quoque menſe diſtributiones partietur.

129 Quoniam verò puncta iuxta feſtorum, temporumque varietatem diuidi conſueuerunt, ratio diſtributionum erit, vt omnia officia in quatuor tempora, ſeu puncta diuidantur; quorum primum erit, vt per totum annum ſemper Matutinum cum laudibus, & Prima coniũgatur. Secundum verò punctum in officio duplici, vel ſemiduplici conficiet Tertia tantùm à cæteris ſeiuncta. Tertium Miſſa cantata, ſeu ſolemnis. Quartum Veſperæ, & Completorium. In feſtis autem ſimplicibus, & officijs de feria, ſecundum punctum dabit Tertia, & Sexta: tertium Miſſæ ſacrum, & Nona. In Vigilijs, & quatuor anni temporibus ſecundum punctum conflatur ex Tertia, Sexta, & Nona. Tertium ex ſola Miſſa.

130 At verò in Quadrageſima diuerſa erit

ratio partiẽdi. Secundum enim punctum constat ex Tertia, Sexta, & Nona, & Missa. Tertium ex Missa, quæ cantatur sub meridiem, & Vesperis. Quartum ex Completorio dumtaxat.

131 Si quis non venerit ad Matutinum feriale ante finem sexti Psalmi, & ad Matutinum duplex, aut semiduplex, ante finem primæ lectionis, pro absente habeatur; ac illius temporis distributione careat.

In Missa verò, si venerit post lectam Epistolam, eamdem pœnam subeat. In cæteris horis, si quis aduenerit post primum psalmum, pro absente habebitur.

Caueant autem, ne aduentum in Chorum, in extremum temporis punctum de industria differant; quamuis in Ecclesia præsentes existant.

Distributiones omnes, absentibus ademptæ, præsentibus, & inseruientibus accrescant.

132 Nouem verò tritici salmæ inter Subcantorem, Terminatorem, & Magistrum Scholæ diuidendæ, more distributionum, ipsis, qui Ecclesiæ interfuerint applicentur; vt iamdudum ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D.D. Cæsare Marullo recolen-

dæ

dæ memoriæ constitutum fuit die 4. Septembris 14. Indict. 1585. possint tamen eorum vices alijs à Chori Præfecto demãdari, assignata fructuum portione illorum absentiæ correspondente, quod peculiariter à Punctatore notetur.

Idem statuimus de duodecim tritici salmis inter quatuor Sacristas distribuendis, vt nimirum absentis portio reliquis Sacristis, qui intererunt, accrescat: eorúmque vices Maioris Chori mandato suppleri possint à Clericis, quibus absentis portio distribuatur, quod à Punctatore etiam adnotetur.

133 Quoniam verò sex Canonici S. Io. Eremitarum prębendas à cæteris diuersas obtinent, & ex eorum fructibus, & prouentibus certam partem in distributiones inter ipsos tantum diuidẽdam contulerunt; Punctatorem peculiarem sibi eligant ad eiusmodi distributiones adnotandas; Punctator autem à Nobis electus, & Punctator decem, & octo Canonicorum, illorum etiam absentiam adnotabit, vt supra dictum est.

Is, qui ab Archiepiscopo sacris Cæremonijs præficitur, siue Personatum obti-

neat, siuè Viuandę beneficium, quo tempore eidem à Sacris Cęremonijs inseruiet, præsens in Choro de more censeatur.

Quamuis autem dum horariæ preces persoluuntur, non censetur absens is, qui Missæ sacrificium in Ecclesia peragit; ea tamen cautio adhibeatur, nè in sacristia diutiùs, quàm par est, ob priuatum commodum quis immoretur: posset enim mora eò vsque protrahi, vt absentis loco haberetur.

CAP. XXIV.

De Diuinis Officiis.

134 Sicut Sancta Mater Ecclesia pro varia temporum, officiorumque ratione, sacrarum vestium apparatum, ornatumque varijs coloribus voluit esse distinctũ, ita etiam diuinorum officiorum distinctionem quamdam adhibuit, vt certis horis, apto loco, peculiaribus indumentis, sessionibus, genuflexionibus, quædam cum cantu, quædam sine cantu, multiplici varietate celebrentur. Quapropter Cathedrales, Parochiales, & Collegiatæ Ecclesiæ,

clesiæ libros habeant ad sacram psalmodiam necessarios: Chorus ita, vel sepiatur; vel constituatur, vt tempore diuini officij, laicis aditus, aliquo interiecto obice, in eum præcludatur. Nec vllatenus eos Clericorum sedes tunc temporis occupare permittatur: summopere enim curandum est, vt perantiquum, diuinorumque mysteriorum dignitati conueniēs institutum ad pristinum vsum reuocetur, vt scilicet Clerici à laicis in Ecclesia cancellis seiungantur: ne id illis obijciatur, quod Dominus dixit per Ezechielem: fabricati sunt limen suum iuxta limen meum.

Sac. Cong. Rit. in Compostell. 4. et 22. Febr. 1604. et in Granat 24 Octob. 1609 cap. Sacerd de consecr. dist. 2. Ezech. 43.

135 In Choro omnes superpelliceo sint induti, & insignibus pro ratione dignitatis, & officij: alternis vocibus canant, non cursim, non perturbatè, sed reuerenter, distinctè, ac deuotè quisque debitum omnium bonorum Auctori obsequium præstet. Omnes verò pariter stent, sedeant, ac genuflectant, caput aperiant, & inclinent, ne locum mutent, nec priuatim officium legant, litteras, librosuè, collocutiones, risus, iocos, somnumque arceant: chirothecis in Choro non vtantur; nec ex

Trid sess. 24. cap. 12. S. Cong. Episc. in una Theat. 18. April. 1617

co exeant, nisi diuino officio persoluto; quod si necessitas aliud postulauerit, id ne faciant, nisi à Præfecto, seu Maiore Chori venia petita; statæ verò pro diuinis officijs horæ diligenter obseruentur.

136 Quia verò Chori disciplina plena Religionis est, plena pietatis ad Dei laudes concelebrandas, & ad fidelium deuotionem excitandam; curent Parochi in Vrbe, & Archipresbyteri in Diœcesi; nec non cæterarum Ecclesiarum Rectores, vt Clerici, in seruandis cęremonijs continenter instruantur: quod vt facilius præstetur, instituat in sua quisque Ecclesia aliquẽ ex Sacerdotibus Magistrum Cæremoniarum, cui subditi, & obedientes cęteri omnes esse debeant, & oculos in ipsum conuertentes, nutu vel signo, quid agendum sit, significanti statim pareant.

137 In festis autem solemnioribus ante aliquot dies exponatur in Sacristia tabella, cum indice eorum, qui sunt diuina officia peracturi, tam ad Vesperas, quam ad Missam; apponantur autem nomina celebrantis, Diaconi, Subdiaconi, Presbyterorum cum pluuialibus, & Presbyteri, seu Cappellani pro libro assistentis: quod & in

Ca-

Cathedrali in primis obseruandum præcipimus.

138 Quoniam autem fel. record. Clem. Papæ VIII. Cæremoniale Episcoporum imprimi iussit, & in omnibus Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis obseruandum proposuit, illudque denuò fuit SS. D. N. Innocentij Papæ X. auctoritate recognitum, vt mandatis Apostolicis obsequamur, præcipimus omnibus, & singulis quarumcumque Ecclesiarum Maioribus, Superioribus, Rectoribus, & quouis alio nomine nuncupatis, vt in posterum ritus, ac cæremonias celebrandi Missas, Vesperas, & alia diuina officia, cæterasque functiones in dicto Cæremoniali expressas obseruent, ac in suis quique Ecclesijs obseruari curent.

CAP. XXV.

De inuocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, et Sacris Imaginibus.

139 IVxta probatum Catholicæ Ecclesiæ morem, iam inde à primæuis Christianæ Religionis temporibus receptum, *toto tit de relig. et uener. Sanct. sess. 25. tit. eodem*

SS.

SS. Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum, ac præsertim S. Conc. Tridentini decreta, Sanctorum, Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium Sancta Corpora à Fidelibus Duliæ cultu humiliter veneranda sunt, quippequæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda.

140 Vt igitur eis debitus honor à Fidelibus præstetur, præcipimus omnibus Ecclesiarum Rectoribus, & Cappellanis, & præsertim curam animarum habentibus, vt in Sacrarum Reliquiarum veneratione omnem superstitionem amoueant, & ea, qua par est, reuerentia ab omnibus coli studeant; moneantque populos ne illarum visitatione ad commessationes, atq; ebrietates abutantur.

141 Non asseruentur in Tabernaculo Sanctissimæ Eucharistiæ, sed in proprio loco, qui religionem redoleat, eoque claue obserato, thecis argenteis, aut aliàs decenter ornatis, proprijs nominibus in distinctis loculis seiunctæ, vt facilius singulæ inspici, & à fidelibus dignosci possint. In processionibus Sanctissimæ Eucharistiæ minimè

nimè deferantur; neque in ſepulchralibus machinis feriæ V. in Cœna Domini expónantur.

142 Omnis autem turpis quæſtus in earum oſtenſione penitus eliminetur: & quandoque populo à Sacerdote ſuperpelliceo, ſtolaque induto, duobus ſaltem accenſis luminibus, decenter oſtendantur.

143 Ab Eccleſijs, in quibus aſſeruantur Reliquiæ, præſertim inſignes, nullo modo dimouendæ ſunt, aut facili negotio ad ægrotos aſportandæ, nec in eorum domibus pernoctare, aut diutiùs immorari debent, niſi prius à Nobis, vel à noſtro Vicario Generali in Vrbe, & Foraneis in Diœceſi, venia obtineatur.

144 Sacras Reliquias, noſtræ præſertim Cathedralis, vel alterius cuiuſque Eccleſiæ quoquomodo auſu temerario ſacrilegè furantes, aut mutilantes, excommunicationem latæ ſententiæ ipſo facto incurrant.

145 Decernimus inſuper nemini licere vllo in loco, aut Eccleſia, etiam Regularium, vel aliàs quomodolibet exempta, nouas Reliquias exponere, niſi prius illæ fuerint à Nobis recognitæ, & approbatę. Eæ igitur dumtaxat Reliquiæ populis adorandæ exponan-

ponantur, etiam à Regularibus, quæ per Nos, vel per Prædecessores nostros approbatæ reperiuntur; ac de earum veritate Regulares à Nobis, vel Prædecessoribus nostris litteras obtinent; vel quæ aliàs ex antiqua consuetudine coli consueuerunt.

cap. cum eo de relig. et uener. Sanct et s. Congreg.

146 Imagines porrò Christi Domini, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, quia in templis habendæ, ac retinendæ sunt ex Conc. Trid. decreto, vt illis debitus honor, & veneratio impertiatur, nullo modo affigantur in locis, vbi picturæ deformitatem, ac corruptionem aliquo temporis spatio pati possunt; neque vbi claui figendi sunt; multo minus in loco vllo sordido, aut lutulento.

Tit. eodem

147 Pictoribus verò, & sculptoribus expressè mandamus, nè in sacris imaginibus pingendis, sculpēdisque aliquid incertum, superstitiosum, Apocryphum, aut insolitum adhibeant, & vt omninò caueant, nè prophana, turpia, obscœna, inhonesta, & quæ procacitatem ostentēt, intermisceant; ac demum, vt eas antequam venales exponant, ad Nos recognoscendas, & inspiciendas deferant.

148 Nemo autem, quocumque exemptio-

nis

nis priuilegio munitus; aut Regularis cuiuscumque ordinis, audeat in Ecclesijs, alijsq; pijs locis Sanctorum insolitas imagines, aut statuas ponere, aut ponendas curare, nisi prius à Nobis, aut Vicario Generali nostro iuxtà eiusdem Sanctæ Tridentinæ Synodi sanctionem visæ fuerint & approbatæ: qui secus fecerit, excommunicationis pœnam incurret.

149 Pretiosissimæ Crucis triumphale signum, militantis Ecclesiæ vexillum, tutissimum in nostris aduersitatibus perfugium, curent omnino Parochi, in suarum Ecclesiarum Cœmeterijs quamprimum erigi lapide, vel ligno, aliauè nón absimili materia decenter expressum; atq; etiam in plateis dirutarum, atque in prophanos vsus conuersarum Ecclesiarum, iuxtà decretum Sancti Concilij Tridentini. *Trid ses. 21 c. 7.*

CAP. XXVI.


De Nouis Miraculis.

150 QVoniam in ea, quæ ad diuinum Dei cultum prętandum attinēt, varios abusus, Dæmonum ver-

ſucia irrepere quotidiè cognouimus, eos prorſus abolere, & periculoſi erroris occaſionem auellere vehementer optamus. Populus namque ad leuia quæque credendum pronus, & facilis, quippe qui rerum nouitate gaudet, ſæpiſſimè falſa miracula pro veris habendo, & euulgando decipitur, vt proinde etiam vera quandoq; contemnantur.

151 Veſtigijs igitur Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi inhærentes, decernimus, & ſancimus, vt ſi quæ in poſterum è ſacris imaginibus, vel alia ratione noua miracula contigerit emanare, ſtatim Eccleſiarum Rectores Nos, vel noſtrum Vicarium Generalem certiores faciant, vt illa accuratè recognoſcamus, & diſcutiamus, & quæ pietati, ac veritati conſentanea videbuntur, decernamus. Inhibentes præterea, nè interim, priuſquam à Nobis de eorum veritate ſtatuatur, à quouis Concionatore, aut alia qualibet perſona, etiam quomodolibet exempta, quocumque modo publicentur. Hęc, qui neglexerint, pœnas pro facti grauitate dabunt.

ſeſſ.25. tit. de inuocat. uenerat. et relig. ſanc. inſin.



CAP.

CAP. XXVII.

De Sacris Repræsentationibus.

152 EXperiẽtia didicimus ſub ſpecie pietatis multa malignatum inimicum in Sancto; atque ea, quæ ad debitum Deo obſequium exhibendum inſtituta ſunt, hoſtem humani generis ad peccatorum pabulum, animarumque iacturam conuertiſſe. Id, quamuis in pleriſque accidere quotidiè experiamur; at præcipuè cum pia Seruatoris noſtri Paſſio, & mira Martyrum, aliorumque Sanctorum facinora repræſentantur, ſæpiſſimè contingit: quandoque enim multa inhoneſta, aut ſaltem indecora, apochrypha, vel ab hiſtorica veritate prorſus aliena, cum audientium offendiculo commiſcentur.

153 Inhibemus igitur, nequis deinceps ſalutarem Chriſti Domini Paſſionem, aut præclara Martyrum, vel cæterorum Sanctorum geſta in quouis Sacro, vel prophano loco recitare, aut repræſentare audeat, aut recitari, ſeu repræſentari permittat, niſi prius à Nobis, vel noſtro Vicario Ge-

Generali accuratè ijs, quæ repræſentanda ſunt, cognitiſ, & circumſtantijs loci, & temporis ſedulo penſatis, facultatem inſcriptis obtinuerit, ſub pœnis noſtro arbitrio infligendis.

CAP. XXVIII.

De Feſtorum Dierum Cultu.

154 QVoniam varijs rerum humanarum occupationibus, & curis præpediuntur Fideles, vt non ita facilè externum Deo cultum huc atque illuc diſtracti, præſtare poſſint; fixum, ac definitum tempus omnibus ſtatutum eſt, quo diuinæ pietatis officia commodiùs obeamus: feſti ſcilicet dies ab Eccleſia conſtituti, in quibus, ab operibus ſeruilibus vacando, debitum Deo honorem grato animo impenſiùs tribuamus.

Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de relig. et tit. de delect. ci boret dieb. feſtis. Cathechiſ. Rom.

155 Itaque ſummopere ſtudeant Fideles, etiam Regulares, feſtos dies piè religioſeque colere, & ſanctificare, in quibus actionum, & operum noſtrorum, quæ in reliquis diebus præſtitimus, Deo quaſi reddenda ratio eſt, & diuina Nobis à Deo colla-

collata beneficia recolenda. Igitur à media nocte præcedentis diei, vsque ad sequentis noctis dimidium ab operibus seruilibus ferientur.

156 Quamuis comestibilia deferri ad populi commodum indulgeamus; ea tamen vendere, nemini liceat; nisi cum officinæ ostiolo dumtaxat aperto, vel saltem ea maiori ex parte clausa.

157 Notarij authentica instrumenta conficere nequaquam possint, nec Iudices, nisi in casibus permissis ius dicere diebus festis.

158 Quod si aliud in prædictis, aut similibus casibus necessitas postulauerit, à Vicario Generali in Vrbe, & Foraneis in Diœcesi, caussa accuratè cognita, non aliter quam ad formam antiquorum Canonum, gratis, libere, & sine vllo prorsus pretio, aut pacto directe, vel indirecte, iuxta decretum Vrbani VIII. nuper editum, & Edictum à Nobis nuperrimè publicatum, facultas concedatur.

159 Monemus præterea Fideles, non solum diebus festis ab operibus seruilibus cessandum, quæ non ideo prohibentur, quod sua natura, turpia, aut mala sint, sed quod

men-

mentes nostras à diuino cultu, qui finis præcepti est, auocant; verum etiam sedulò curandum, vt Sacrosancto Missæ Sacrificio singuli legitimè non impediti cum magna animi deuotione, ac reuerentia interfint: prauam illam consuetudinem detestantes, qua plerique post alicuius suorum obitum aliquandiù templum Dei nō inuisunt, & tanti sacrificij fructibus priuantur; cum potiùs defunctis consultius esset eos pœnis leuare, preces pro ipsis ad Deum largius effundendo.

Dies autem, qui in hac Vrbe, & Diœcesi coli præcipiuntur, sunt, quos proximus index subnectit: quos inter Missarum solemnia diebus Dominicis Parochi annunciabunt.



Mense	FEBRVARIO.
IANVARIO.	2 Purificatio B.M.V.
1 Circūcisio Domini	5 Agatha Virgo, & M. *per Vrbem, et Territorium.*
6 Epiphania Domini	24 Matthias Apostolus.

lus. *In Bisses. 25.*

MARTIO.

19 Ioseph Conf. Sponsus B.M.V.

25 Annũciat. B.M.V.

APRILI.

MAIO.

1 Philippus, & Iacobus Apost.

3 Inuentio S. Ccucis. Translatio S. Christinæ V. & M. *In Dom. secunda.*

IVNIO.

24 Natiuitas S. Io. Baptistæ.

29 Petrus, & Paulus Apost.

IVLIO.

15 Inuentio S. Rosalię V. *per Vrbem, & Territorium.*

24 Christina V. & M. *per Vrbem, et Territorium.*

25 Iacobus Apostolus

26 Anna Mater Beatæ Mariæ Virg.

AVGVSTO.

10 Laurentius Mart.

15 Assumptio B.M.V.

24 Bartholomęus Ap.

SEPTEMBRI.

4 Rosalia Virgo, *per Vrbem, et Territ.*

8 Natiuitas B.M.V. Translatio S. Nimphę. *In Dom. Ter.*

21 Matthæus Apostolus, & Euang.

29 Dedicatio S. Michaelis Archãg.

OCTOBRI.

28 Simõ, & Iudas Ap.

NOVEMBRI.

1 Festum omnium Sanctorum.

30 Andreas Apostol.

DECEMBRI.

8 Conceptio B.M.V.

21 Thomas Apost.

25 Natiuitas D.N.Iesu Christi.

26 Stephanus Prothomartyr.

27 Ioannes Apostol. & Euang.

28 Innocentes Matt.

31 Siluester Pap.

FESTA MOBILIA.

Pascha Resurrectionis D.N.Iesu Christi cũ duobus diebus proximè sequentibus.

Ascensio D. N. Iesu Christi.

Pentecoste cum duobus proximè sequẽtibus diebus.

Solemnitas Sanctissimi Corporis Domini.

Omnesq; dies Dominici totius anni.

CAP.

CAP. XXIX.

De obſeruantia Ieiuniorum.

160 IEiunium, optima animarum noſtrarum cuſtodia, & corporum, non ſolum priſcis veteris legis temporibus celeberrimum, ſed tempore gratiæ à Chriſto Domino quadraginta dierum inedia in deſerto Sanctificatum, à Catholica Eccleſia ſtatis temporibus, cum peculiarium ciborum delectu inſtitutum eſt in honorem Vitæ atque humanitatis Sacratiſſimæ Chriſti Domini, eius Sanctiſſimæ Matris, cæterorumque Sanctorum; atque etiam ad mortificandam carnem, & tentationes propulſandas: quod Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi monita exequentes fidelibus noſtræ curæ commiſſis, enixè commendamus: eos hortantes in Domino; vt ſæpius memoria recolant, non ſolo corporum ieiunio, animarum noſtrarum ſalutem acquiri; niſi etiam mente appropinquemus Deo, & vitia blanda ſuperantes; illud miſericordijs pauperũ cõpleamus, & impẽdamus virtuti, quod ſubtrahimus voluptati. *Seſs. 25. tit. de delect. cibor. et ieiu.*

161 Monemus igitur iuxtà Ecclesiæ mandatum omnes Christi fideles, non legitimè impeditos, præter abstinentiam à carnibus, (ad quam singulis etiam quibusque sextis ferijs, & sabbatis, excepto die Natalis Domini, obstringuntur) teneri item ad ieiunia Ecclesiastica Quadragesimæ, Vigiliarum, & Quatuor temporum; nisi minor ætas cum nimitum nondum annum vigesimum primum expleuerint, infirmitas, paupertas, pietas, aut magnus labor illos excuset.

162 Ieiunium hoc Ecclesiasticum sua natura exigit ciborum delectum, vt semel tantum comedatur, seruetur que de more apta comedendi hora. Carnes ieiunantibus absolutè interdictæ sunt: vetitæ sunt quoque lacticinia, & oua, quæ sementinam ab eis originem trahunt: nisi Sanctissimę Cruciatæ priuilegio ij perfruantur, aut aliter postulet legitima loci consuetudo, quę tamen pro tempore saltem Quadragesimę nullibi viget.

163 Semel comedendum est: Permittitur tamen refectiuncula vespertina, quæ octo cibi vncias minores non excedat: sed in peruigilio Natiuitatis Domini hæc seroti-

na Collatiuncula duplo solita maior esse potest, quamuis in Sabbatum incidat Vigilia. Hora est meridies, sed per modicum temporis præuenire, culpa lethifera non erit.

164 Ieiuniorum tempore districtè inhibemus omnibus, & singulis Cauponibus, Hospitibus, & quibuslibet alijs Receptatoribus nè in suis Cauponijs, & Hospitijs cibos vetitos exponant, parent, aut ministrent; ijs dumtaxat exceptis, quibus propter aduersam valetudinem eis vesci à Medicis fuerit permissum.

165 Cum autem Medicorum consilio alicui carnes edere conceditur, in primis in Domino hortamur, vt ieiunare minimè recusent, nisi aduersa valetudo aliud exposcat; nequaquam eas emant, aut comedãt, nisi præhabito Medici testimonio scriptis exarato, à nostro Vicario Generali in Vrbe, & Foraneis in Diœcesi, facultas gratis tribuatur. Nec quouis modo audeant eas Macellarij vendere, nisi ijs dumtaxat, qui facultatem huiusmodi in scriptis exhibuerint; idque ianuis clausis præstent.

166 Dies autem, quibus fideles ieiunare tenentur, inter Missarum solemnia diebus

Do-

Dominicis Parochi populis denuncient. Sunt autem ij, qui in hac quę sequitur Tabella, describuntur.

Mense	
FEBRVARIO.	*per Diœcesim ieiunatur die 24.*
23 *V*igilia S. Matthiæ Apost. *In anno Bissextil. fit die 24.*	**AVGVSTO.**
IVNIO.	9 Vigilia S. Laurētij.
23 Vigilia S. Ioannis Baptistæ.	14 Vigilia Assumptionis B.M.V.
28 *V*igilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli.	23 Vigilia S. Bartholomæi Apost.
IVLIO.	**SEPTEMBRI.**
23 *V*igilia Sāct. Iacobi Apost. *per Vrbem, et Territ. tantum: sed*	20 Vigilia S. Matthæi Apost. & Euang.
	OCTOBRI.
	27 Vigilia SS. Apostol. Simonis, & Iudæ.
	31 Vigilia omnium San-

Sanctorum.

NOVEMBRI.

29 Vigilia S. Andreæ Apostoli.

DECEMBRI.

7 Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *Vbi ex uoto uel Consuetudine habetur.*

20 Vigilia S. Thomæ Apost.

24 Vigilia Natiuitatis D.N. Iesu Christi.

Si Vigilia occurrat in Dominica, ieiunatur Sabbato precedenti.

Ieiunãdum toto tempore Quadragesimæ, Et quatuor anni Temporum, quę celebrantur.

In Hieme Quarta, & Sexta feria, & Sabbato post tertiam Dominicam Aduẽtus.

In Vere post Dominicam primam Quadragesimæ.

In Æstate post Dominicam Pentecostes.

In Autumno post Festum exaltationis S. Crucis.

Item ieiunandum in Vigilia Pentecostes.



CAP.

CAP. XXX.

De Processionibus.

167 Piè, ac religiosè admodum in Dei Ecclesiam mos inductus est habendarum statis temporibus processionum, vel ad Dei opem implorandam, vel ad gratias eidem pro collatis beneficijs agendas; vel ad venerandos Sanctos eorumq; reliquias; ac denique quod præcipuum est, vt singulis annis peculiari quodam, & festo die, præcelsum, ac venerabile Eucharistiæ Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, illudque reuerenter, & honorificè per vias, & loca publica circumferretur.

Trid. sess. 13 c. 5.

168 Quò igitur antiquissimus sacrarum processionum usus, ea, qua par est, religione retineatur, illud in primis statuimus, vt siuè ad implorandum diuinum auxilium, siuè ad agendas Deo gratias instituantur, nullæ aliæ preces, ritus, aut cęremoniæ adhibeantur, quàm eæ, quæ in Rituali Romano proponuntur.

169 Quoniam autem inter processiones omnes

omnes primum, vt diximus, locum obtinet ea, qua Sanctissimum Christi D. N. Corpus solemni ritu per Vrbem defertur, congruum est, vt nullæ in ea circumferatur Reliquiæ, sed solum Christi Domini Corpus solemni pompa, ac celebritate, vt Romanæ Ecclesiæ consuetudo fert, ab omnibus colatur. Procedant igitur omnes aperto capite, ardentes cereos gestantes, psalmosque, ac hymnos deuotè concinentes. In cæteris etiam Processionibus omnes decenti habitu, sine galeris, superpelliceis induti, grauiter, ac modestè bini suo loco procedant, remoto risu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aspectu, nec ordinem processionis interturbent, aut deserant.

dicta 181. 13 *c.* 5. *et can.* 6.

170 Lumina duo cum candelabris à quolibet Clero tam Regulari, quam Sęculari ad Crucem adhibeantur.

Officiales, quorum interest, procedentium ordinem ita tueantur, vt nullo modo laicos homines equos, aut currus intermisceri ordinibus patiantur. Confratum eodem die commessationes omnino improbamus.

171 Processionibus solemnioribus Vrbis,

Patronarum videlicet Sanctarum Christinæ, Nymphę, Agathę, ac Rosalię, ac ijs, quibus Nos interesse contigerit, Canonici etiã, & Dignitates omnes intersint, nemine excepto, sub pœnis nostro arbitratu irrogãdis.

172 Ad publicas processiones per Edicta vocati, omnes Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, alijque Clerici, etiam non habentes beneficia, aut officia accedere teneantur iuxtà laudabilem consuetudinem in hac Vrbe, & Diœcesi diutissimè obseruatam: quam quidem, Nobis olim instantibus, Cleroque nostro Puteolano, Sacra Cardinaliũ Congregatio probauit seruandam, vbi adesset.

die 6 Iul. 1647.


173 Sacræ arcæ DD. Christinæ, Nymphæ, Agathæ, Rosaliæ, & S. Mariæ Magdalenæ, ne à laicis hominibus in processione deferantur, sed adhibeantur aliquot saltem Clerici superpelliceis induti.


174 Nouas autem processiones absque speciali nostra facultate inducere nemo præsumat: cæteræ verò nullo modo post Solis occasum permittantur.

Regulares, & Sodalitatum, & Confraternitatum Rectores ea obseruent quoad Processiones, quæ alibi à Nobis sãcita sũt.



PARS QVARTA DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.





CAP. I.

De Beneficiis.

1 Beneficia Ecclesiastica, quæ ad diuinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sunt constituta, personis dignis, & habilibus tãtum conferantur. Vt autem quis ad beneficium consequendum idoneus, & habilis censea- *Trid. sess. 21. c. 3.* *sess. 7. c. 3.*

tur, inspiciendum erit diligenter, an eas habeat conditiones, quæ à Sacris Canonibus, ac præsertim Sancta Tridentina Synodo ad id requiruntur. Atque in primis exigitur legitimus thorus, neque enim illegitimis beneficia conferri possunt; nisi præhabita Summi Pontificis dispensatione, aut nostra in casibus à iure permissis.

c.1. de filiis Presb. in 6.

2 Insuper necessarius est præuius clericatus, seu prima tonsura, aut certus ordo, quem ex institutione beneficium exigit: qui aliquando præire debet, aliquando subsequi potest beneficij collationem.

c.7. de rescriptis c. 6. de transac. tit. 11. de elect.

3 Præterea ætas à Sacris Canonibus, & maximè à Sancta Tridentina Synodo requisita, cuius sanctiones hac in re districtè seruari præcipimus. Nullus igitur, quãuis prima tonsura initiatus, aut in minoribus ordinibus, ante decimum quartum ætatis annum, saltem inceptum, beneficium simplex obtinere præsumat; si secus fiat, ipsam collationem nullam esse declaramus: nisi tamen in fundatione aliter statuatur. Beneficia verò, quibus cura imminet animarum, nonnisi ijs, qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerint, conferantur; in cæteris Sanctæ

sess. 23. c. 6.

sess. 24 c. 12.

Syno-

Synodi decreta omnino obſeruentur.

4 Adhæc requiritur cælibatus: hinc beneficij collationem coniugato factam irritam declaramus: niſi forte fiat in caſibus à iure permiſſis. Quod ſi Clericus minorum ordinum obtinens beneficium, matrimonio copuletur, ipſo iure illud amittere decernimus. *c. 1. 2. et 8. de Cler. Coniug.*

5 Item requiritur, vt non ſit vlla cenſura irretitus, aliauè inhabilitate affectus: quamobrem collatio, aut præſentatio facta excommunicato, aut ſuſpenſo, aut interdicto, aut irregulari, nulla erit. In hæreticis, eorumque filijs, Simoniacis, intruſis, alijſque ſimilibus Sacrarum Canonum diſpoſitionem ſeruari præcipimus. *c. 7. de Cler. excom c. 8 de conſuet. c. 16 de elec. c. 8 de ætate & quam. c. 1. de poſtul Prælat c. 2. de Cler. pugnam in duell.*

6 Iam verò adeſſe quoque debet morum probitas: decet enim maximè Dei, & Eccleſiæ miniſtros virtutibus præcellere, vt monitis, exemplis, pijſque precibus alios in viam ſalutis dirigere, atque in pietate valeant promouere. *Cap. 2. et 5. de baret. in 6. Cap. 7. de elect. Trid. ſeſſ. 24. c. 2*

7 Huic adnectitur litterarum peritia, ac ſcientia, ad munus vnicuique beneficio adnexum ritè obeundum neceſſaria: penitus autem illiterato beneficij collatio fieri nequit, illamque omnino inualidam decla- *Cap. 7. de elect. Trid. ſeſſ 22 c. 2.*

sess.7 c.13. sess.22.c.4. sess.25.c.9. declaramus. Quod verò ad examen in beneficiorum prouisione præmittendum attinet Sacræ Tridentinæ Synodi sanctio obseruetur.

8 Cap. nisi de rerum incep. Nec prætermittenda erit Corporis aptitudo, quæ scilicet necessaria est ad officium decenter exequendum: alioquin collatio irrita erit, nisi ineptitudinem superuenire contingat.

Trid. sess. 22.c.4. 9 Interrogandus quoque erit, qui beneficium petit, num determinatam habeat intentionem permanendi in statu Ecclesiastico, atque ordine muneri suo necessario, nec velit ab eo proposito resilire: non enim par est, vt ijs dentur Ecclesiastica beneficia, qui nondum statuerunt se ministerio Ecclesiæ mancipare.

10 Inspiciendum etiam erit, num is, qui vult beneficium, aliud obtineat incompatibile; is enim incapax erit alterius beneficij, nisi à Sede Apostolica dispensatio obtineatur. sess.24.c.17 Sanctissimè verò à sacra Tridentina Synodo sancitum est, vt vnum tãtum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex suffi-

sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.

11 Hanc certè beneficiorum pluritatem ita abhorrent Canonum iura, vt ea Sancta Tridentina Synodus totius ordinis Ecclesiastici peruersionem nuncuparit, certumque animarum periculum continere Alex. III. asseuerarit: Eandemque multa incómoda Christianæ reipublicæ malo inuehere Io. XXII. agnouerit, vt nimiam rerũ temporalium solicitudinem, ambitionem, luxum, incontinentiam, concubinatum, lites, scandala pusillorum, & alia sexcenta.

d.c.17.

Cap. 3. de Praben.

Extrauag. Execrab.

12 Ecclesias Parochiales nonnisi dignis, atque idoneis conferri S. Tridentina Synodus sanctissimè decreuit: in quarum quidem prouisione eiusdem Sanctę Synodi dispensationem, ac Pij V. constitutionem diligentissimè seruari præcipimus.

sess.24.c.18

Incipit in Conferendis 33. in bull. Cherub. tom. 2

13 Beneficia in casibus à Pio V. permissis in manibus nostris resignari possunt. Eodemque pacto Nos beneficiorum permutationes admittere possumus, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur. Generatim verò præcipimus, vt in publicandis benefi-

Const. Quanta 58. in bull.

ciorum

ciorum resignationibus quibuscumque etiam caussa permutationis, siuè coram Papa, siuè collatoribus inferioribus factis, dispositio Constitutionis Greg. XIII. ad vnguem adimpleatur.

Incipit humano&c. in d. bull.

14 Futuras beneficiorum succesiones nemini concedendas Canonum iura, ac S. Tridentinæ Synodi decreta districtè præcipiunt: id, quod beneficiorum Patroni maximè animaduertere debent, si diuini animaduersionem iudicij effugere cupiũt.

Cap. 2 & final. de concess. Preb. Trid. sess. 25. c. 7.

15 Beneficiorum qualitatibus, & oneribus, quæ ijs ex fundatione sunt iniuncta, nullatenus derogandum esse decernimus, nisi in casibus à iure permisis.

sess. 25. c. 5.

16 In beneficiorum priuatione iuxtà Sacrorum Canonum, ac nouissimè Sancti Concilij Tridentini Constitutiones, & non aliter procedatur.

sess. 21. c. 6. sess. 13. c. 3. in fine. sess. 25. c. 14

17 Demum eiusdem Sacrosanctæ Tridentinę Synodi, ac Sacrorum Canonum vestigijs inhærentes, vt Ecclesiarum status ex dignitate conseruetur, & nè qua in parte diuinus cultus minuatur; perpendentes quod in hac Vrbe, ac Diœcesi plurima extant beneficia non curata, quæ fructus habent adeo tenues, vt Ecclesiarum statui,

sess. 21. c. 5. Cap. sicut de excess. Prelat. cap. expos. deprehend. Titul. 2. de reb. Eccles. non aliend.

non

non minus id sit noxium, quàm indecorum, quando animaduertimus illa possidentes, eorum exactionem ob exiguum valorem parui facientes differre, atque ideo paulatim deperijsse, oneraq; illorum vel minimè adimpleri, vel non congruè portari: in vim præsentis Constitutionis Synodalis, ac requisito venerabilis nostri Capituli consensu, facere vniones illorum perpetuas decreuimus; quamuis sint generaliter, vel specialiter reseruata, aut qualitercumque affecta, sine tamen præiudicio obtinentium, vel auctoritate Apostolica illa expectantium.

18 Ea igitur ratio ineunda Nobis est, vt beneficia hæc tenuia pro tempore vacatura de mensa Archiepiscopali, quorum collatio ad Nos spectat, de cætero nostra auctoritate, prout iure fieri potest, in eam vsque summam vniantur, ac connectantur, vt conficiant annuum censum scutorum sexaginta, quæ quidem summa beneficium Ecclesiasticum constituit, & ad victum Beneficiarij honestè sufficit, vnde possit ad maiores ordines illius titulo assumi.

19 Quod ipsum etiam seruandum Nobis

est in illis beneficijs, quæ sunt de iure patronatus laicorum, iure fundationis, aut dotationis, ipsorum prius consensu requisito.

20 Demum admonemus omnes, & quoscumque Ecclesiastica beneficia curata, seu non curata obtinentes, vt Ecclesiam sartã, tectamq; habeant, pauperum inopiam eleemosynis subleuent, vitamque frugaliter, & honestè agant, atque Ecclesiæ commodum, aut suorum fidelium, proprijs commodis anteponant.

CAP. II.

De Iurepatronatus.

21 NOn iniuria ingemuit Lateranense Concilium sub Alexandro III. quod Romana Ecclesia Iurapatronatus, nempè cũ Ecclesiarum seruitute, quin imo, & macula sustinuerit. Huic Ecclesiarum detrimento Sacrosancta Tridētina Synodus occurrere volens, nè Ecclesiastica Beneficia in seruitutem, quod à multis impudenter fit, redigerentur, sed debita in omnibus ratio obseruaretur, decreuit, vt titulus

ann.1181.

sess.25.c.9.

lus Iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis ostendatur; siuè etiã ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasuè secundũ iuris dispositionem. In ijs verò personis, seu Communitatibus, vel Vniuersitatibus, in quibus id ius plerumq; ex vsurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis tẽporis probatio aliter eis suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio; quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.

22 Quam quidem Tridentinam constitutionem amplectentes, in nostra Curia omnino obseruari præcipimus: & quidem non solum in probatione iurispatronatus fundati post Concilij publicationẽ; verum etiam, & antea constituti: citato in primis nostro Procuratore Fiscali, ac præuio Edicto iuxta Canonum dispositionem: aliter verò factam iurispatronatus probatio-

cap final. 74 elect. in 6.

nem: irritam, atque inualidam ipso iure declaramus.

23 Decernimus quoque, ac declaramus fundationem ex mēte eiusdem Sacri Concilij includere non solum fundi, vel areolæ donationem, quam occupat Ecclesiæ ædificium, sed etiam ipsius Ecclesiæ constructionem, seu ædificationem eiusdemmet patroni expensis faciendam: Dotationem verò debere esse sufficientem iuxta eiusdem Concilij Sanctionem: ac demum probationem non qualemcumque, sed dilucidam, claram, efficacissimam, & ostensiuam: In hoc autem casu fundationis, aut dotationis institutio Archiepiscopo, & non alteri inferiori reseruetur.

sess. 14. c. 12.

24 Illud autem summopere animaduertēdum præcipimus, an eiusmodi documentum, quo iuspatronatus ostendi debet, sit authenticum, nempè originale, quod plenam fidem præstet, vel certè quod originali æquiualeat, sitque in limine fundationis, aut dotationis tempore confectum, contineatque ipsammet fundationem, vel dotationem, iurispatronatus concessionem. Insuper an adsint alia à iure requisita, hoc est, an legitimus Ordinarij con-

sensus

sensus ad fuerit, habueritque fundator, aut dotator animum iuspatronatus acquirendi, quodque ei postmodum non renunciauerit, nec per non vsum amiserit: nec sibi censum, aliamuè seruitutem reseruauerit, aut ad certum tempus restrinxerit, quod fuerit transactum.

25 Quod verò attinet ad secundum probationis modum à S. Concilio vti sufficientem approbatum; nimirum ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat; eiusdem S. Concilij menti Nos conformes reddere volentes; statuimus huiuscemodi præsentationes duas adminus esse oportere, immemorabili tempori, vel saltem centum annorum spatio coniunctas: earumque vnamquamque distinctè continere patronum præsentantem, clericum præsentatum, annum, mensem, diem, beneficium vacans, ac vacationis caussam. Præterea esse debere continuatas, & non interruptas, atque etiam effectum sortitas, hoc est, quod præsentati acceptatio, Ordinarij institutio, ac realis, actualisque possessio sint subsequutæ. Alios autem modos probādi iuspatronatus cum ea-

eadem Sancta Synodo penitus improbamus, nè scilicet Ecclesiastica beneficia in seruitutem impudenter redigantur, quod non esse permittendum Concilium censuit. In ostendendis autem huiusce præsentationibus, atque immemorabili prędicta formam à iure Canonico adhibita communi Doctorum interpretatione præscriptam omnino seruari decernimus.

26 Cæterum in ijs personis, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potius quęsitum præsumi solet, eiusdem Sacri Concilij Sanctionem statuimus obseruandam: vt nimirum illis immemorabilis temporis probatio non aliter suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur: in quo Sacrę Congregationis decretum, quo ab hoc probationis genere testes, aliæque probationes coniecturis innixæ reijciuntur, in nostra Curia statuimus obseruandum.

S. Congr. 19 Febr. 1633 in Panorm. Seminarii.

Quamquidem vsurpationis præsumptionem præcipuè oriri declaramus, si Ecclesia in territorio aliarum personarum sita reperiatur

repe-

reperiatur, in quo eos obtinent iurisdictionem.

27 Reliquos verò patronatus omnes, qui ad formam prædictam non ostenduntur, itemque omnia patronatuum priuilegia, aliasque omnes similes facultates cum eadem Sancta Synodo penitus abrogamus: Eaque in totum abrogata, & irrita, cum quasi possessione, tum iurispatronatus, tum iuris etiam præsentandi inde sequuta, declaramus; beneficiaque huiusmodi tamquam libera conferantur: excipimus autẽ à præsenti decreto eos patronatus, qui ab eodem Sacro Concilio excipiuntur.

28 Atque ex hac Tridentina Constitutione decernimus, hodie in iurispatronatus probatione, vel non admittendum iudicium possessorium; vel saltem eamdem prorsus tum in petitorio, tum in possessorio requirendam esse probationem: proinde neque dari manutentionem ex sola præsentandi quasi possessione, cessareque remedia omnia possessoria, neq; vltimum statum in fore attendendum: quorum omnium aliorum à S. Concilio statutorum meminisse nostros Iudices, & Assessores in caussis iurispatronatus monemus.

S Congre. Concil.

Sciant

Trid. ibid. cap. per Nostras; et ca. quoniam de iurep. c. unico eod. tit. in 6.

29 Sciant verò Patroni, licere Nobis ab illis legitimè præsentatos si idonei non fuerint, repellere: nec seipsos præsentare posse: licet Nos motu proprio eis consentientibus beneficium conferre possimus; seque ad præsentandum, si laicale sit iuspatronatus, quadrimestre, si Ecclesiasticum semestre tempus obtinere, alioquin prouisio ad Nos deuoluetur. Itemque norint sibi nullatenus licere cuiusuis priuilegij prætextu aliquem ad beneficia sui iurispatronatus in nostra Diœcesi existentia, nisi Nobis, ad quos prouisio, seu institutio ipsius beneficij, cessante priuilegio, iure pertinet, quoquomodo præsentare: alias præsentatio, ac institutio, forsan secutæ, nullæ sint, & esse intelligantur: quod locum etiam obtinet, quamuis beneficia in Ecclesijs regularium, vel exemptis fundata sint; nisi fortè illius loci Rector esset ordinarius, ordinariaque iurisdictione fungeretur. Quod si ad inferiores institutio pertineat, nihilominus præsentati à Nobis examinari debent: alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, & inanis.

d. sess. 14. c. 13. et d. sess. 25. c. 9.

cap. cum autem de iurep.

30 Quod si fortè contingat laicum patronum plures præsentare, in nostro arbitrio

erit

erit instituere vtrum maluerimus: si verò Ecclesiasticus sit patronus, qui prior est tempore, iure potior esse debet.

31 Insuper patroni in perceptione fructuũ huiuscemodi beneficiorũ nullatenus, nullauè caussa, vel occasione se ingerant, sed illos libere beneficiario, non obstante etiã quacumque consuetudine, distribuendos dimittant: quod si forte, vrgente patroni paupertate, ei iuxtà Canonum constitutiones succurrendum sit; id nonnisi auctoritate nostra fieri volumus, vt egentibus, pro personarum qualitate, ac beneficiorum fructibus, opportunè consulatur: quod si huiusmodi beneficiarij hac in re à patronis aliquam molestiã patiantur, Nobis aut Vicario nostro Generali eam protinus denuncient. *Trid. sess. 25. c. 9.* *Cap. filius c quicunq 16 q. 7. c. 25 de iurep.*

32 Demum Patroni iuspatronatus in alios venditionis, aut alio quocumq; titulo contra Canonicas sanctiones, transferre non præsumant: si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subijciantur, ac dicto iurepatronatus ipso iure priuati existant. *Trid. sess. 25. c. 9 c. cl. et c. iure de iurep.*

33 Cætera, quæ à S. Tridentina Synodo ad iuspatronatus pertinentia, sancita sunt

ad vnguem obseruari hac constitutione mandamus.

CAP. III.

De Parochorum Residentia, alijsq; eorum Obligationibus.

Sess. 6. c. 2. et Sess. 23. c. 1. parag. eadem omnino

34 SAcrosancta Tridentina Synodus ijs, qui beneficia possident, personalem residentiam de iure, seu consuetudine exigentia, proprijs in Ecclesijs residere præcipit sub pœna fructuum amissionis, alijsque à iure statutis, & à se innouatis; præter mortalis peccati reatum: eademque speciatim in Parochis locum obtinere decernit.

Trid. dict. cap. 1.

35 Parochi igitur, quibus præcepto diuino mandatum est, vt idem Sacrum Concilium docet, oues suas agnoscere; pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere. Hęc autem omnia nequaquam ab ijs

præ-

præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt. Omnino igitur in Eccleſijs Parochialibus aſſiduè reſideant, ibique in diuinis deſeruiant, ac debito munere perſungantur; alioquin in eaſdem, quas prædiximus, pœnas incurrant. Parochialem domum incolant, vel Eccleſiæ contiguam, vel ſaltem eam, quæ commoda ſit Eccleſiæ miniſterijs obeundis. Nullatenus verò extra Parochiá commorentur.

36 Quod ſi quandocumq; eos cauſſa prius per Nos cognita, & probata, abeſſe neceſſè ſit, Vicarium idoneum à Nobis approbandum, cum debita mercedis aſſignatione, relinquant. Diſcedẽdi verò licentiam ad bimeſtre in ſcriptis, gratiſque à Nobis obtineant: ea autem nonniſi graui ex cauſſa vltra bimeſtre tempus erit concedenda.

37 Nulli verò eorum priuilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur. Indulgentiæ verò, & diſpenſationes temporales, ex veris, ac rationabilibus tantum cauſſis, & coram nobis legiti- *Trid ſeſſ 6. c. 2. c. cum ex eo parag porro de elect. in 6.*

mè probandis,in suo robore permaneant. Hisce tamen casibus nostrum officium erit, tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegati, prouidere; vt per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, animarum cura nullatenus negligatur; nemini verò quoad hoc, priuilegium, seu exemptio quæcumque suffragetur.

38 Insuper per semetipsos, non autem per Vicarios Parochi suis Ecclesijs inseruiant, iuxtà Innocentis PP. III. in Lateranensi Concilio sanctionem. Cum autem casus acciderit,quo necessè sit ob aliquam caussam à iure permissam diutiùs abesse, veluti studiorum,ingressus Religionis,infirmitatis, inimicitiæ capitalis, insicientiæ, & imperitiæ,& similiũ,& Vicarium deputare necesse erit, qui Parochi absentiam, aut inscitiam supplere possit, id iuxtà Canonum, ac S. Concilij Tridentini Constitutiones præstandum esse decernimus.

cap. Extirpande parag qui uero depræb.

d. c.cum et eo c. benef. de regul. in 6.

Trid sess.6. c.2 sess.7.c. 5.et 7.et S. Cong. in c. 1 sess 23. et c.6 sess. 21.

39 Quamuis verò Archipresbyteri, & Curati in Diœcesi à suis Ecclesijs discedere nequeant, nisi cum eadem licentia; nihilominus Vicarijs Foraneis tantum concedimus,vt eadem facultatem triduo terminandam

nandam impartiantur; de qua tamen Nos certiores illicò reddant.

40 Iam verò meminerint omnes Parochi ea accuratè custodire, quæ Nos sparsim in hac Synodo eis obseruanda præcipimus: atque illud inprimis, quod idem S. Concilium statuit, vt scilicet per se, vel per alios diebus saltem Dominicis, & festis solemnioribus, ac ieiuniorum tempore, Quadragesimæ, & Aduentus Domini plebes sibi commissas salutaribus monitis pascant;

Vt frequenter inter Missarum celebrationem ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera SS. huius sacrificij mysterium aliquod declarẽt, prædictis præsertim diebus Dominicis, & festiuis.

Ac Tridentinum decretum de Matrimonij Sacramento populo annunciare, & explicare non desinant, quoties ipsi viderint expedire.

Vt Dominicis saltem, alijsque festiuis diebus, quisque propriæ Parochiæ pueros fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter docere curet, ad formam à Nobis antea præscriptá.

Et

Et vt populus ad suscipienda Sacramẽta maiori cum reuerentia, atque animi deuotione accedat; illorum vim, & vsum pro suscipientium captu explicent, iuxtà formam Cathechismi Romani.

Statuta Sacrosancti Concilij Tridentini, aliorumque Generalium Conciliorum, nec non, & præsentis Synodi populis sibi commissis sedulò commendent, omnique diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, cuiusmodi sunt ciborum delectus, & ieiunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum festorum deuota, & religiosa celebratio admonentes populos crebrò obedire præpositis suis, quos qui audiunt, Deum remunerantem audient, qui verò contemnunt, Deum ipsum vltorem sentient.

Diligentes sint in administrandis populo Sacramentis, ac præsertim in frequẽtia, & solicitudine ad suorum subditorum confessiones audiendas, & in infirmorum visitatione, ad quos etiam non vocati accedant, explorentque ægritudinis statum, nè plus æquo eis Sacramentorum administratio

ſtratio differatur. In ijſque demum omnibus ſeruandis, quæ antea de Sacramentis in genere, ac ſpeciatim tradidimus, præcipuè in deſcribendis nominibus coniugum, & teſtium, Baptizatorum, & Confirmatorum, eorumque parentum, ac patrinorum, atque etiam defunctorum, diſtinctis voluminibus.

In ſepeliendis fidelium Cadaueribus diligenter ea omnia ſeruent, quæ in titulo de funeribus à Nobis ſancita ſunt.

Edictum generale, quod feria IV. in capite ieiunij in noſtra Cathedrali Eccleſia promulgatur, in ſuis etiam Eccleſijs pro tempore promulgent.

Diebus item Dominicis intra Miſſarum ſolemnia non ſolum Matrimonia, ſed Vigilias etiam, & feſtos dies, ac ſacra quatuor anni tempora de more annunciabūt: doceantq; quæ in illis officia à fidelibus præſtanda ſint, quibus cibis abſtinēdum.

Sacrorum officiorum, diuinique cultus religionem piè, grauiterque exerceant, præſertim in feſtis ſolemnioribus, & hebdomada ſancta; in qua veterem, ac pium Eccleſiæ morem benedicendarum domorum cuſtodiant, nonniſi à Sacerdotibus fieri

fieri permittant; sed à meretricum, aliorumuè publicorum peccatorum domicilijs benedicendis omnino abstineant.

Omnem adhibeant curam in continendis populis in officio, ac deuotione, & vt piè, & religiosè in Ecclesijs versentur; præsertim diebus festis, atque in his sacro intersint.

Quotannis populos sibi commissos describant, eos præsertim, qui in Paschate SS. Eucharistiæ sacramento non sunt refecti. Nullatenus sponsos ante contractum Matrimonium cohabitare sinant; quos, nisi obedierint, ad Nos continuò deferant. Diligenter inquirant nequis sub matrimonij specie in Concubinatus, Incestus, aut Adulterij statu miserrimè versetur.

Parœciam Vniuersam frequenter lustrent; videant, num in ea sint hæretici, aut de hæresi suspecti, aut quomodolibet à fide aberrantes; aut qui hæreticalia verba protulerint, aut hæreticorum scripta librosque legant, vel apud se habeant, statimque eos Nobis, vel hæreticæ prauitatis Inquisitoribus denuncient.

Num in ea adsint publici Blasphemi, concubinarij, adulteri, coniugati à com-

mercio

mercio disiuncti, alternis odijs seruientes, venefici, sortilegi, quos primum humaniter, ac peramanter coarguant: quod si obstinato animo cæterorum scandalo esse perseuerent, Nos in Vrbe, Vicarium Foraneum in Diœcesi consulant. Mulierculas verò superstitionibus deditas, aut etiam viros è proprijs Parochijs penitus eradicent, & Nobis renuncient.

Pauperes, pupillos, viduas, egenas puellas, aliosque aduersa fortuna laborantes summopere eis in Domino commendamus, vt illis, quantum in ipsis est, opem ferant, ad Nosque etiam deferant.

Studiosè seruent, quæ ipsis à Sacris Canonibus, & Concilijs, ac præcipuè Tridentino, Bulla Clem. VIII. de reformatione Parochiarum, atque his Synodalibus constitutionibus sanciuntur.

Ea omnia quæ superius statuimus pro Missarum celebratione, Ecclesiarum ædificatione, & ornatu, earumque immunitate, diuinis officijs celebrandis, de veneratione sacrarum reliquiarum, & Imaginum, de nouis miraculis, de festorum dierum cultu, ieiuniorum obseruatione, de vita, & honestate Clericorum, ac demum

de prauis Consuetudinibus ab Ecclesia amouendis accuratè custodiant.

Denique, Parochos omnes in Domino monemus, vt impositum sibi onus, quod est Angelicis humeris formidandum sẽper ob oculos sibi ponant, illudque ea humilitate, charitate studeant substinere, vt communi hoste profligato, de proprio securi periculo, ac de sibi creditarum ouium salute optimè meriti, tãdem huius vitæ spatio feliciter decurso, ad supremam Iustitiæ coronam valeant peruenire.

C A P. I V.

De Vita, & honestate Clericorum.

41 QVoniam nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum qui se diuino ministerio dedicarunt, in quos à rebus sæculi in altiorem locum sublatos, tanquam in speculum, reliqui oculos conijciunt, ex eisq; sumunt, quod imitentur: decet enim omnino Clericos in sortem Domini vocatos, præsertim sacris Ordinibus insignitos, vitam,

moresque suos omnes ita componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant: leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant. vt eorum actiones cunctis afferant venerationem: alioquin sciant se, qui plus cæteris in hoc mundo acceperunt, ab Auctore mundi grauius inde iudicandos: eos enim elegit Dominus, vt Euangelicum sal, per quod scilicet populi condiantur, & vt ardentem lucernam, per quam cæterorum tenebræ illustrentur. *Trid. sess. 22. c. 1.*

42 Initio igitur Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Vestigijs inhærentes, ea omnia, quæ aliàs à Summis Pontificibus, sacrisq; Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, & quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotijs fugiendis, copiosè, ac salubriter sancita sunt, ad vnguem sub ijsdem pœnis, alijsque nostro arbitratu infligendis, accuratè obseruanda præcipimus: quam quidem executionem, quippe quæ ad morum correctionem pertinet, nulla prorsus appellatio suspendet. *d. sess. 22. c. 1. et toto tit. de Vita, et honest. cler. Concil. Nicanum Carthag. Chalced.*

Trid. sess. 14. in prooemio de ref. 43 Ab ijs igitur summopere contendimus, nè inhonestam vitam ducant, prauis, & corruptis moribus deprauatam; sed in omnibus exhibeant se Ministros Dei, nemini dantes vllam offensionem, vt non eorum ministerium vituperetur. *2. ad Corinth 6.*

Trid. sess. 14 c. 6. 44 Quia verò, & si habitus non facit monachum; oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam externi habitus, internam morum honestatem ostendant: sacri Concilij Constitutionē hac de re editam ab omnibus Ecclesiasticis personis quantumcumque exemptis seruari mandamus sub pœnis eadem constitutione contentis. Quapropter nec vestitu sordido, aut neglecto, nec nimis exquisito vti debent; & nullo vnquam tempore patiendum est; vt vestes laicales quouis obtentu publicè deferant; quod si iter faciendum sit, vti licebit habitu contractiore, & itineri accomodato.

45 Sit igitur habitus clericalis vestis inferior talaris, idest ad talos demissa; si lanea, modestior erit; quod si serica, simplex illa sit, non arte elaborata, non ex holoserico villoso, aut opere damasceno, quā vel- *Sixt. V. in const. cum Sacros. 82. in bull. Cherub. tom. 2.*

lutum,

lutum, & damaſcum vulgò nuncupamus, ex quibus neque ſolas manicas gerere licebit. Sit nigri coloris, niſi aliud requirat officium, aut dignitatis gradus: clauatis verò lacernis, quas vulgò appellamus Zimarras, ij tantum vtantur, qui in dignitate fuerint conſtituti. Pallium veſtem exæquet, non longitudine ſolum, ſed multo magis modeſtia, & grauitate: quare nec lato clauo, aliauè pictura, cæteriſque ſimilibus ornamentis adornetur. Galero decenti, ac modeſto vtantur ad pluuiam, & aeris iniurias arcendas; non tamen in Eccleſia, præſertim tempore concionum; iſque non ſit laicalis, nec intorto, vel laxo velo precinctus, aut in vmbellam complicato: ſed clericali funiculo, quo Eccleſiaſticæ perſonæ, modeſtia, & grauitate conſpicuæ, vtuntur. Caligæ omnino nigræ, vel eius coloris ſint, qui ad nigrum vergat: interulas, ſeu ſubuculas ad collum, vel ad manus criſpatas, & collariola puniceo, alioue colore ſuffuſa non vſurpent: collare verò neque ob parentum obitum deponant; illudque ſimplex ſit, ac modicè extractum, & latum honeſte reclinetur. Anulum non geſtant, niſi forte officium,

aut

aut dignitatis gradus exigat, & tum quidem vnicum habeant, ac decentem; sed in celebratione Missæ eo non vtantur.

Trid. sess. 23. c. 6.

46 Porrò, nisi Clerici Clericalem habitum, & tonsuram deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato nostro inseruiant, fori priuilegio non gaudebunt: quæ omnia simul, & coniunctim ita sunt necessaria, vt eorum singula nequaquam prosint, nisi aliquod habeant beneficium Ecclesiasticum, quo iuxtà Concilij Tridentini Sanctiones ab Ecclesiæ ministerijs eximantur: vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniuersitate de nostra licéntia, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versentur. Cæterum decet plurimum, vt qui sunt Clericali militiæ adscripti Ecclesijs inseruiant; idque non eo nomine, vt fori priuilegio gaudeant, sed vt Ecclesiasticis disciplinis instruantur; nec sane laudabile esse potest, vt beneficium Ecclesiasticum, & præsertim tenue quærant, quo Ecclesiæ seruitio se eximant, & fori priuilegio potiantur.

c. 4. 5. et 7. de uita; et honest. Cler

47 Neque Comam nutriant, neq; barbam, non tamen incultam deferant, nec studiosius excultam; Sacerdotes præsertim à superiori

periori labro ita recisam habeant, vt pili eos nullo modo in SS. Eucharistiæ sumptione impediant. Capillamentum simplex gerant non promissum, aut nimis à fronte eleuatum, non cincinnis, aut calamistratis anulis, seu crinibus intortis exornatum: qui verò huic nostræ Constitutioni non paruerit, sciat se non solum in pœnas à Nobis in nostris Edictis constitutas, sed alias etiam grauiores nostro arbitratu infligendas, absque spe veniæ incursurum: Et si exteri fuerint exilio ab hac Vrbe, & Diœcesi puniendos.

48 Arma non ferant, nisi longioris, aut suspecti itineris caussa; neque tunc palam, aut prohibita, sed quæ ad corporis tutelam apta sint, aut necessaria: nullo autem modo in proprijs domibus retineant sclopetas, aut alia eius generis ignea tormenta.

c. 2. de vita et honest. cler. et ca. quicumq. 23 q. ult.

49 Domos habitent ab omni suspicione alienas, in ijsque modesta supellectili, & frugali mensa contenti sint: impias, aut inhonestas imagines non retineant.

50 Domi nullatenus admittant suspectas mulieres, aut cum illis cohabitent, ne obtentu quidem consanguinitatis, aut famulatus: nisi pœnas Sacrorum Ca-

nonum, ac præsertim S.C. Tridentini Decreto inflictis, seuerè se intelligant puniẽdos.

51 Circa verò eos, qui in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu miserrimè versantur, ad continentiam, ac vitæ integritatem reuocandos, ea prorsus ratione procedendum erit, quæ à Sancta Tridentina Synodo decreta est, absque strepitu, & figura Iudicij, sed sola facti veritate inspecta: quam quidẽ executionem quæuis appellatio, aut exemptio non impediet, neque suspendet.

cap. Cler. officia de vita, et honest. Cler.

52 Abstineant à consuetudine impiorum hominum, ab alearum, & taxillorum ludis, quorum nec spectatores eos esse volumus; neuè vt in proprijs ædibus permittant. Non adeant cauponas, tabernas, domos meretricum, nec vagentur per vicos, & plateas, sed sobriè viuant, non in commessationibus, & ebrietatibus. Personati, aut laruati, idest mascherati nullo modo vnquam incedant: Choreas publicas, & priuatas non agant, nec audeant siuè in minoribus, siuè in maioribus ordinibus constituti sint, personam agere in Theatris, & comædijs publicis, priuatisuè

ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

53 Caueant omnino, nè bona Eccleſiaſtica vſurpent, aut alijs vſurpantibus conſentiant: alioquin pœnis, quæ à S. Concilio Tridentino in huiuſmodi nefandæ fraudis, & vſurpationis fabricatores, ſeu conſentientes infliguntur ſubiaceant. *ſeſſ. 22. c. 11.*

54 Habeant apud ſe libros, quorum lectione benè agendi ſtudium, morum diſciplina, & timor, charitaſque Dei augeatur; nec minorem operam dent Sacris Eccleſiaſticis cæremonijs ediſcendis: præſertim Sacerdotes, qui ritus, cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibendas callere maximè obſtringuntur. Superpelliceis induantur, cum id miniſterij vſus exigit: quæ nec lacera, nec ſordida eſſe debent: ijs autem induti, nec præ foribus Eccleſiæ ſtent, nec obeant officinas, nec per vias incedant, niſi aliquod Eccleſiaſticum munus præſtare debeant, quod ſuperpelliceum requirit: illudque omnes in minoribus Ordinibus conſtituti habeant, quo in Eccleſia, cui adſcripti ſunt, & alibi, cum ipſos ſuis fungi muneribus contigerit, vti queant. *Trid. ſeſſ. 22. in decr. de celebr. miſſ.*

55 A nocturnis cantilenis penitus abstineant: nec noctiuagis istis Cantoribus se vllo modo aggregare præsumant, sub pœnis nostro arbitratu infligendis.

56 Venationes, & aucupia illicita, atque à sacris Canonibus vetita eis omnino prohibeamus, alioquin pœnis à iure præscriptis, & arbitrio nostro imponendis subiaceant.

c 1. et 2. de cler. uenat.

57 Cantum, quem Planum nuncupamus, omnes addiscant: negligentes, ad maiores Ordines non promoueantur; quod si iam sint Presbyteri nostro arbitrio puniantur, nisi nimia ætate grauati sint. Eodémque modo lectioni, nec non, & Congregationi Casuum, quos vocant Conscientiæ, ac Cæremoniarum semper intersint pro ut in nostra Visitatione disposuimus: ac præsertim ij, qui confessionibus audiendis, alijsque Sacramentis administrandis sunt addicti: vt certè sunt in nostræ Diœcesis nonnullis locis, in quibus Presbyterorum Communitas seruatur: qui non obediuerint, arbitrio nostro punientur; Clerici verò inferioris Ordinis, præter latinæ linguæ studium, Ecclesiasticæ disciplinæ institutionibus sedulò incumbant.

S Congr. in nostra Puteol. 6 Iul. 1647.

A. Noctu

58 Noctu nonnisi ex honesta, & necessaria caussa domo exeant: nihil scurriliter, indecorè, aut turpitèr loquantur. Absint ab eis maledicta, obtrectationes, assentationes ac nugæ. Laicorum conuiuia, quoad fieri potest, euitent: in omnibus denique se præbeant bonorum operum exemplar.

59 Et, vt Clericorum disciplinæ progressus euidentius ad maiorem Dei gloriam constet, vnusquisque Clericus in singulos menses post peccatorum confessionem Sacrosancto Eucharistiæ cibo in sua Parochiali Ecclesia se reficiat: cuius rei testimonium à Parocho accipiet, cui curæ sit, vt frequẽtantium, & non frequẽtantiũ nomina singulis mẽsibus Mag. Notario omninò renuntientur: nec non, & Nobis, aut nostro Vicar. Gener. deferat, num per idẽ tempus diebus festiuis Missæ, & Vesperarum officio inseruiuerint: super quibus eius conscientiam summopere oneramus. Quamobrem Clericos omnes, Diaconos, item, & Subdiaconos Ecclesiæ adscribendos esse, vt in ea suo quisque in munere se exerceat ex mente Trident. Concil. præcipimus, nisi tamen caussa studiorum ab Vr- *sess. 23. c. 11. et 13.*

be absint: Sacerdotes verò saltem Dominicis, alijsque festis diebus Missam celebrare non omittant.

2. ad Timoth. 2.

60 Quoniam verò qui Deo militat, non debet implicare se negotijs sæcularibus; idcirco præsenti Constitutione decernimus, nè clericus coram Iudice sæculari cõpareat, nè testimonium det, aut fideiussionem præstet, neque Aduocati, & Procuratoris nomine caussas agat, nisi in casibus à iure permissis, & venia à Nobis obtenta: nec vllo modo artem medendi, aut officium tabellionis exerceat.

cap. Cleric. depostulando.

61 A cuiusuis generis mercatura prorsus abstineat, nec aliena prædia conducat; nec aliorum tutelam suscipiat, neuè parũ Ordinis memor, ac dignitatis suæ sit in famulatu laicorum, & Principum, nisi tantum ad Sacerdotale munus Missæ celebrãdæ exercendum, neuè comes, aut assecla fœminarum.

62 Quoniam autem ad nostras aures sępius peruenit, laicos homines in fraudem tributorum, ac gabellarum fictis, ac simulatis bonorum donationibus, in Ecclesiasticas personas ementitam libertatem exercere: Nos hisce fraudibus occurrere volẽtes,

tes hac Synodali cõstitutione decernimus, ac mandamus, vt huiusmodi donationes nullius prorsus, prout iuris est; sint roboris, ac momenti; quamuis in proprios filios, aliosque consanguineos, aut amicos fieri contingat; & nihilominus eiusmodi bona fictè, ac simulatè donata tributis, ac gabellis subijciantur. Nè autem id in posterum vllatenus fiat; pœnis nostro arbitrio irrogandis omnino prohibemus Clericis omnibus nostræ iurisdictioni subiectis, nè huiusmodi donationes quouis quęsito colore deinceps admittere præsumãt.

63 Illi verò, qui curam animarum sustinent, meminerint, vix posse in alijs reprehendere, quod in se quisque admiserit. Præeant igitur sermone, & scientia memores eius, quod scriptum est, Sancti estote, quia & ego Sanctus sum.

Trid. sess. 24. in proœm. decret. de refor.
1. Petri 1.

64 Et quoniam ex Peregrinorum Clericorum commercio, nonnulla scandala irrepserunt; cum plerumque iudicijs, & pœnæ fugiẽdæ caussa ad alienum Pastorem confugiant; vt facilius oues nostras cognoscamus, tum aliàs, tum hac constitutione Synodali statutum est, vt nemo deinceps recipiatur, qui non habeat commendatitias

sui

sui Ordinarij litteras, quibus non solum eius honestas, & vitæ consuetudo probetur, sed etiam absentiæ à propria Diœcesi legitima caussa exprimatur.

65 Ne cuiquam Sacerdoti, vel Clerico nostræ Diœcesis itineri se committere liceat sine litteris nostris dimissorijs, in quibus absentiæ tempus, & caussa exprimatur. Reuersus quamprimum adeat Magistrum Notarium, nimirum, vt reditus diem adnotet; & cum tempore per dimissorias concesso conferat, eaque omnia in acta referat. Si quis autem vltra præscriptum tempus abfuerit, Nobis, aut Vicario Generali denunciet.

66 Peregrini, & exteri Sacerdotes non solum ad celebrandum sine Commendatijs sui Ordinarij litteris à nostro Vicario Generali recognitis, eiusque subscriptione munitis non admittantur; verum etiam hic commorari absque ijsdem litteris, tam ipsi, quàm Clerici etiam exteri, omninò prohibeantur. Si qua tamen facultas hic commorandi concedatur, ea non excedat illud temporis spatium, quod ab eorum Ordinarijs præfinitur. Nec beneficium, quod in nostra Diœcesi forte obtinent; si

Trid. sess. 22 in decr. de celebr. miss.

sit

ſit exiguum, eis quoad hoc; aut Ordinum ſuſceptionem volumus ſuffragari. Domicilium verò ad hoc, vt pro Diœceſanis habeantur, non aliter quàm autheticis ſcripturis, quæ certam fidem faciant, & nullo modo teſtibus oſtendatur.

67 Vt facilius operarios dignoſcamus, quos in Domini meſſem admittimus, hoc decreto ſancimus, ne quis in poſterum audeat clericalem habitum aſſumere, aut ſemel aſſumptum dimittere abſque noſtra facultate ſcripto apud acta noſtræ Curiæ comprobato.

68 Et quidem omnia, & ſingula ſuperius poſita, vtpotè iuxtà Canonicas ſanctiones, & multas Summ. Pontificum, & Sacrorum Conciliorum conſtitutiones diſtrictè præcipimus, vt ab omnibus ſeruentur; & illi, quorum intereſt obſeruari curent. Tranſgreſſores autem ſanctionum omnium ſupra expoſitarum, & earum quarumlibet, intelligant ſe non ſolum obnoxios pœnis in noſtris Edictis aliàs contentis, quas omnes præſenti conſtitutione innouamus, & ſingulis robur firmitatis adijcimus; ſed alijs etiam pro noſtro arbitratu iuxtà delicti qualitatem infligendis. Quod verò ſeſſ. 7. c. 14.

ad

ad exemptos spectat, Sacrosancti Concilij Tridentini decreta tamquam Sedis Apostolicæ Delegati obseruari curabimus.

C A P. V.

De Seminario Clericorum.

69 SEminarium Clericorum in hac Vrbe multis ab hinc annis ad præscriptum Tridentini Concilij erectum, in quo primarium lapidem posuit Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Cæsar Marullus Archiepiscopus Panormitanus anno Domini 1583. die 7. Martij, quodque partim proprijs sumptibus, partim fructibus Ecclesiasticis deinde perfecit; in eoque Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Didacus de Ayedo certum puerorum numerum ipsius Ciuitatis, ac Diœcesis collocauit, præhabita tamē Sum. Pontificis Gregorij XIII. approbatione, ac confirmatione electionis loci in Ecclesia S. Barbaræ, taxæ beneficiorum, ac fructuū detractionis, emptionis domorum, demū totius ipsius Seminarij institutionis: hoc inquam, Seminarium iam loco conueniēti situm, concinno ædificio instructum, suf-

Sess. 23. c. 18

1. Decemb. 1582. *16. Maii* 1582. *4. Octob.* 1582. *22. Nouem* 1582.

ficienter dotatum, optima adoleſcentium institutione formatum, à Nobis tantum expoſcit, vt illius conſeruationem, ac propagationem (iuuante Domino) proſequamur.

70 Itaque Conſtitutiones iam præſcriptæ, vſuque receptæ, curet Rector, vt diligentiùs in dies ſeruentur, vtque frequenti eorum conuentu in ſingulos menſes legantur, vt ſæpiùs repetitæ audientium mentibus penitùs inſideant. Quòd vt commodius ſuum ſortiatur effectum, Rector ipſe regulas ſibi præſtitutas obſeruet, cæteriſq; facem præferat, vt obſeruent. Pecuniæ vndecumque obuenientes apud Vrbis Tabulam reponantur, non expendendæ, niſi ad Syngraphas Vicarij noſtri Generalis, Deputatorum, & Rectoris eiuſdem Seminarij ſubſcriptionibus obſignatas.

71 Rector verò parata habeat computa redditùum in certos codices digeſta, dati, expenſique ſingulis annis, Nobis exhibenda: indicem etiam prouentuum, bonorumque mobilium, ac ſtabilium quotannis conficiendum.

Nec non Adoleſcentium nomina, ætatem, genus, ſtudia, ingreſſus, exituſuè

diem, annum, mensem, & caussam, certum in librum referat.

72 Nemo in Seminarium admittatur, qui minor sit duodecim annis; nemo item, qui legitimo matrimonio natus non fuerit; Cæterum in electione, pauperum præcipuè est habenda ratio, sed honestiorum, quoad fieri potest; qui tamen legere, ac scribere competenter norint; & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministerijs perpetuò inseruituros; cautionem initio præstent de alimentis Seminario restituendis, si forte clericalem habitum, & statum dimiserint.

73 Ditiorum filij non excludantur, modo suo sumptu, eodem tamen conuictu alantur, ac studium præseferant Deo, ac Ecclesiæ inseruiendi. Comam, & cincinnos nè nutriant, vestibus, & caligis sericis non vtantur.

74 Si quæ verò domus fuerit, aut Congregatio sub quouis titulo loci, & operis pij erecta, vel erigenda, ad alendos gratis filios pauperum, & egenos, ea nè scholares admittat, qui proprijs pecunijs sumptum in conuictum, & alimenta suppeditent, nisi licentia à Nobis obtenta.

75 Quoniam verò adoleſcentes, vt rectè inſtituantur, debent à teneris annis litteris, ac religione informari, quod ſatis difficulter, ac rarò euenire ſolet in ijs, qui prouectioris ſunt ætatis, vt longa experientia compertum eſt; ideo præſenti decreto ſancimus, ne qui annum XVI. exceſſerint, vllatenus de cætero in Seminarium cooptentur.

76 Vbi igitur aliquis inter cæteros fuerit ſingulari Dei beneficio in Seminarium adlectus, inquirat Rector, num cogitet de Religione ingredienda; moneatque peccare eum, ſi in Seminario hoc animo viuat, quippe qui ſumptus ad huius Eccleſię alumnos, atque operarios ſuſtentandos iam inde conſtitutos, dolo, ac fraude in alium finem detorqueat. Quod ſi quis decurſu temporis de ſtatu mutando conſilium caperet, quamuis de Religione ingredienda cogitaret, Rectorem Seminarij ſtatim certiorem faciat, qui rem ad Nos illico deferat.

77 Ipſo in ingreſſu generalem peccatorum confeſſionem apud Sacerdotem à Rectore aſſignatum faciant; ac Sancta Euchariſtia ſe reficiant, [illegible]

peccata confiteantur: sacram autem Eucharistiam saltem quintodecimo die sument.

78 Vt igitur Clerici in eadem disciplina Ecclesiastica commodiùs instituantur, tõsura statim, & habitu clericali vtantur; nempè veste talari, ac pallio ad eius longitudinem, coloris violacei, & clericali bireto, domi forisque.

Dominicis, ac festiuis diebus de more Cathedrali inseruient superpelliceo indutiti iuxtà Constitutiones præscriptas, ac iniuncta munera, functionesq; ritè obibunt: Alteri quàm Archiepiscopo celebranti, aut Pontificalia exercenti, nullo modo assistant, vel inseruiant; quamuis sit Vicarius Capitularis sede vacante.

79 Omnem adhibeant diligentiam, vt Grammaticæ, cantus firmi, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam teneant: sacram item scripturam, libros Ecclesiasticos, atq; Sacramentorum tradendorum, maximè, quæ ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac cæremoniarum formas ediscent.

80 Hos autem in suas classes superiorum iudi-

iudicio diuisos, Nos quotannis per Vicarium nostrum Generalem, certosque homines doctos recognoscemus, an progressum in litteris fecerint; eosque prout in Domino videbitur, vel speculatiuis scientijs erudiendos retinebimus, vel Theologiæ morali dumtaxat circa casus, quos vocant conscientiæ, addicemus: vel certè parum idoneos in examine repertos, ac nullam spem maioris progressus afferentes, è Seminario dimittemus, quod quidē examen ineunte mense Septembri omnino fieri mandamus, & fideliter Nobis singugulorum sufficientia renuncietur, de quo Examinatorum conscientiam oneramus. Si quid verò litterariæ exercitationis eorū aliquis publicè aggredi velit; id nullo modo nisi præhabita nostra, vel nostri Vicarij Generalis, & Rectoris licentia exequatur.

81 Porrò discolos, & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores Rector acriter puniet; eos etiam, si opus fuerit, præhabita à Nobis venia, expellet.

Summopere sibi omnes caueant à lectione librorum, qui res lasciuas, aut parum honestas tractant; cuiusmodi sunt

Ario-

Arioſtus, Paſtor Fidus, Petrarcha, Marinus, & ſimiles poeſes, aut proſæ. Experientia enim compertum eſt iuuentutis blandè deceptæ mores hoc veneno corrumpi, & damnum ferè irreparabile in conſequêtem ætatem extendi. Quare ſeuerè præcipimus nè quis eiuſmodi libros legat, aut apud ſe occulte retineat; neq; ſtylum, aut latina, aut etruſca lingua, ſiuè ſoluta oratione, ſiuè verſibus in eiuſmodi rebus exerceat. Qui autem poſt vnam aut alteram monitionem contumax fuerit; è Seminario quamprimum eijciatur.

Sed cum hæc peſtis ab vno in alios facilè ſerpat, vnumquemque monemus, vt ſi hos libros apud aliquem detineri animaduertat, ad Rectorem rem deferat, ne crimen illud bono communi valdè noxiũ ſuo ſilentio foueat, & admiſſi ſceleris partem, & pœnam in ſe deriuet.

82 Mane poſtquam ſurrexerint, per horæ quadrantem cum dimidio feriatis; feſtiuis verò diebus per dimidiam horam orationi vacent, veſpere per horę quadrantem conſcientiam attente diſcutiant; ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio in Seminarij Sacello interſint, cui ritè miniſtrare omnes addiſcant.

discant. Clerici Officiũ B. Virginis quotidiè recitent, nisi ad horas Canonicas sint obstricti: ij verò, qui conuiuunt, idem Officium B. V. vel saltem tertiam Rosarij partem.

83 Sacris concionibus, quæ pro tempore fient, dum in Cathedrali inseruierint, vnà intersint loco illis præstituto; nec indè digrediantur absque Præfecti consensu.

84 In corporis refectione temperantiam, & modestiam obseruent, cui adhibenda est benedictio, & gratiarum actio ad præscriptum Breu. Rom. sacra item lectio veteris, ac noui testamenti, vitæ Sanctorum, & id genus alia, iugiter admiscenda.

85 Singuli in singulis lectis cubent, nec ad alterius mensam quis accedat absque Præfecti facultate; nec libros, aut quiduis aliud commodato accipient.

86 Pecunias apud se minime retineant, sed Rectori, aut Ministro asseruandas tradant; qui non paruerint, acriter puniantur, & pecuniæ pauperibus distribuantur.

87 Dato signo eundi cubitum, in lectulos se recipiant, nec plus octo horis somnum capiant.

A prandio, & à cœna per horam à stu-

dijs vacent, honestis inter se collocutionibus, vel certè musicæ operam dando.

88 Demum nè sint rixosi, elati, voluptatum amatores, vaniloqui, sed vitia fugiant, virtutes amplectantur, silentium suis temporibus seruent; Rectori, Ministro, ac Præfectis, in omnibus prompto animo obedientiam præstent, ac D. O. M., Deiparæ Virgini, Angelo, ac Patrono suo sedulò se commendent.

Vt autem in maturiori ætate iuuandis proximis sint aptiores, Volumus vt rudimenta, & rationem habendarum ad populum concionum addiscant; quare aliquoties per annum publice in refectorio, vel alibi breuem concionem de rebus sacris ad pietatem facientibus habeant. Inter statuta verò Seminarij reponetur modus pro cuiusq; ætate, & studijs aptus ad hoc sacræ eloquentiæ tyrocinium conformandum.

89 Caueat autem Rector, nè circa regulas, aut aliàs res aliquid prorsus innouetur absque expressa nostra licentia: suæque curæ demandatum intelligat, vt bona Seminarij stabilia, & mobilia optimè conseruentur; supellex autem vniuersa reponatur

natur in aliquo cubiculo duabus clauibus obſerato, quarum vna ſit apud Rectorem, altera apud Miniſtrum, nec inde aliquid extrahatur, quin ambo præſentes omnino ſint.

CAP. VI.

De Regularibus, & Exemptis.

90 QVamuis olim iure communi inſpecto omnes Monachi Epiſcopis, in quorum Diœceſibus Monaſteria ſita erant, ſubijcerentur: ita vt eorum profeſſionem admittere, illamue repellere poſſent: hodie tamē plura adſunt Summorum Pontificum priuilegia, quibus Regulares ab Ordinariorum iuriſdictione eximuntur. Ijdem tamen Summi Pontifices in pluribus à ſe editis cōſtitutionibus, ac etiam Concilijs Generalibus, ac præſertim in Sacroſancta Tridentina Synodo, Regulares locorum Ordinarijs per Ordinariam, vel delegatam iuriſdictionem ſubiecerunt. *cap. Abbates c. monaſteria 18 q. 2. c. 4. de offic. ordin. c. porrect. de regul.* hoc idem habetur in Synodo Paduan. an. 1567. sub .v. decr. pag. 302.

91 Quoniam autem ex Religioſis domibus piè inſtitutis, ac rectè adminiſtratis,

plurimum in Ecclesia Dei splendoris, atq; vtilitatis accedit; quo facilius Ecclesiastica disciplina augeatur, & constantius conseruetur, opportunum Nobis visum est, ea, quæ ad Regulares circa Ecclesiæ nostræ regimen attinēt, in hanc præsentem constitutionem simul conferre. Et quamuis in Superioribus capitibus nonnulla identidem sint apposita, nimirum nè processiones extra claustra vllo modo faciant; ne infantes de sacro fonte suscipiant; nè sine nostro examine ad audiendas confessiones accedant, ac cætera eiusmodi; Sacrorum tamen Conciliorum, Tridentinæ Synodi, & Summ. Pontificum Ordinem secuti, omnia hoc loco, peculiari tractatione seponenda censuimus.

92 Ac primo quidem, quoniam omni cura Pastoribus inuigilandum est circa ea, quę pertinent ad fidem, ac pietatem tuendam, neminem Regularium ad verbi Dei prædicationem admitti volumus, qui fidei professionem ad Pontificiæ sanctionis formam, Nobis, aut nostro in spiritualibus Vicario non præstiterit, quam si semel emiserit, eius præstitæ scriptum testimonium, & obsignatum ostendat.

93 Si in Ecclesijs suorum Ordinum sint prædicaturi, antequam prædicare incipiant, debent à suis superioribus examinati, & approbati de vita, moribus, & sciẽtia, cum eorum licentia, coram Nobis se personaliter præsentare, nostramque petere benedictionem. In alienis verò Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt prædicaturi, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam nostram habere teneantur, sine qua in illis nullo modo prædicare possint. Contradicentibus verò Nobis, nec in suis Ecclesijs prædicare præsumant: sciantq; se in supradictis casibus si quoquomodo non paruerint Gregoriana Constitutione quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas à Nobis vti Apostolicæ sedis Delegatis, fore coercendos: quæ quidem etiam in secularibus quibuscumque exemptis locum obtinent.

Trid. sess. 5 c. 2. et sess. 24. c. 4 Gregor XV in const. 18. In scrutabili para. 6 Vrbanus. 8. in constit. edita 30. Ian. 1629.

94 Et in hoc quidem prædicandi munere meminerint Regulares, se sacram Scripturam interpretari debere eo sensu, quem Catholica Ecclesia, & cõsẽtiẽs Patrũ auctoritas retinuit, sanãq; doctrinã edocere, diuinã legẽ annunciare, & auditores accende-

re, vt declinent à malo, & faciant bonum, exemplo denique suo, hortatu, ac præceptis ad pietatem populos erudire.

95 Confessiones non excipiant, nisi scriptam à Nobis approbationem habuerint; nec non à Superiore testatum litteris afferant, se peritia, scientiaque idoneos, ac vitæ disciplina, moribusque probatos esse. Eiusmodi etiam testimonium afferent Ordines suscepturi iuxta præscriptam formã Clem. VIII. vt in cap. de Sacramento Ordinis dictum est.

Trid. sess. 23.c.15.

96 Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis Resurrectionis Dominicæ nullo modo fidelibus ministrent: nec in priuatis laicorum ædibus sacrum Missæ faciant, quin Oratoria sint à Nobis probata: nec omnino in Ecclesijs Monialium sine nostro expresso consensu, & facultate.

Trid. sess. 22.in decr. de celebr. miss.

97 Sacrum infirmorum oleum non aliunde, quàm à Cathedrali petant: ac vt debitus honor Ecclesiæ matrici reddatur, in die Sabbati Sancti campanas haud pulsent Regulares, alijue quomodolibet exempti, antequam pulsauerit Cathedralis, vel Ecclesia Matrix: alioquin Interdi-

ca.ueniens de præscrip Leo X. in const.22.in bull. Cherub.to.1.

cti pœnæ subiacebunt; ac Leonis X. mulctam persoluent.

98 Non audeant defunctorum corpora efferre, nisi præsens sit proprius defuncti Parochus, nec sine illius licentia Sabbato Sancto laicorum domos aqua lustrali benedicere, nec retibus, cymbis, nauibus, & nauticis instrumentis benedictionem vllo vnquam tempore impartiri.

99 Conseruatores eligant ex ijs, qui in hac Synodo à Nobis ad id muneris electi sunt, ac designati: coram quibus, (nisi extra claustra degant, & agatur de caussis mercedum, & miserabilium personarum) conueniantur: eos iam semel legitimè electos non mutent durante quinquennio; nisi ex legitima caussa, à Sede Apostolica; vel à Nobis approbanda: eiusque electionis documentum intra mensem penes acta Curiæ nostræ exhibere, ac deponere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiu iuxta formam à Greg. XV. præscriptam non elegerint, coram Nobis conueniantur.

Trid. sess. 7 c. 14. Greg. XV. in constit. sanctissimus 9. in bull. Cher. tom. 4.

100 Nulla monasteria de nouo sine nostra licentia erigant, quam non obtinebunt, nisi vocatis, & auditis aliorum Conuen-

Trid. sess. 25. c. 3. de regul. Clem. non. (?) in se. pri. 9. 10. 3.

tuum Prioribus, quorum interesse videbitur, vndè constet sine aliorum detriméto commodè sustentari posse; & is Religiosorum numerus præfigatur, qui commodè ali possit, aliaque seruentur, quæ præscripsit Clem. Papa VIII. approbauitq; Greg. XV. ac nouissimè Vrb. VIII.

101 Non liceat Regularibus à suis Conuétibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi; sine superiorum mandato inscriptis obtento; secus à Nobis tamquam desertores sui instituti puniantur. Quamobrem omnibus, & singulis intra nostræ Diœcesis fines ita degétibus, in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, vt infra duos menses ab huius Synodi publicatione Nobis, vel Monasterij destituti, vel habitus etiam depositi caussas ostendant.

102 Regulares cuiusque Ordinis, & instituti si extrà Monasterium degentes deliquerint, à Nobis tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis se nouerint secundum canonicas sanctiones visitandos, puniendos, & corrigendos.

Trid. sess. 6.c.3.

103 Cum iis, qui intra claustra Monasterij degunt, & extra illud ita notoriè delinquunt, vt populo scandalo sint, iuxtà Sacri

Clem. 8 in const suscepti 19.10.3.

Con-

Concilij decreta, & Clem. VIII. Constitutionem erit procedendum: Quod idem in eo, qui extra Monasterium sine habitu incedit seruandum erit. *bull. Cher.*

104 Et ad tollendas populi offensiones, qui eleemosynam vicatim quæritãt, laicorum, ac præsertim mulierum domos non ingrediantur, sed, qua par est, modestia, oblata sibi charitatis subsidia ipsa in via, ac in omnium prospectu fideliter recipiãt. Si verò extra loca, vbi Monasteria existũt, quæritare velint, Superiorum suorum licentiam Nobis, vel nostro Vicario Generali in Vrbe, in Diœcesi verò Vicarijs Foraneis ostendere debent. *S. Congreg 1621.*

105 Quoniam verò adest decretum Sacræ Congregationis, quò cautum est Tertiarias mulieres ad habitum tertiæ Regulæ à Superioribus Regularibus nõ esse admittendas, & recipiendas, nisi sint probatæ vitæ, bonisque moribus prædıtæ, atque in ætate saltem quadraginta annorum constitutæ, quæ de proprio habeant, vnde sufficienter viuere possint, & non cum alijs viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitent, & ab Ordinario loci; *S. Cong Ep. et regul. 20 Decembr. 1616. exequut. in regno 3. Ian 1642.*

licen-

licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedere debeat, nisi de prædictis præuio diligenti examine sibi constiterit: & in hoc quidem habitu concedendo, & respectiuè deferendo, omnino à velo supra caput, à pectorali, & à patientia esse abstinendum: alioquin eas, quæ supradicta tria, vel ipsorum aliquod deferre depræhensæ fuerint, illa dimittere, etiam per censuras Ecclesiasticas à locorum Ordinarijs fore compellendas: hoc sanè decretum præsenti constitutione accuratè seruari mandamus.

106 Quoniam autem harum Tertiariarum nonnullæ Dei timore postposito, ac sui immemores, non sine Christi fidelium scandalo vagantur, hac Synodali Constitutione præcipimus, vt suspectarum mulierum consortium fugiant, neuè illis vllo modo sint in famulatu, aut comitatu; secus exilio punientur, ac alijs etiam pœnis nostro arbitrio infligendis.

107 Nè liceat in posterum vlli seculari mulieri eiusmodi habitum, nec etiam ex voto gestare, ac deferre, nisi illum à Religiosi Ordinis Superiore, seruata supradicti Decreti forma, ac peculiari ritu de more su-

susceperit; secus arbitratu nostro seuerè punietur.

108 Quapropter præsenti Constitutione præcipimus, vt mulieres huiusmodi Tertiariæ infra menses quatuor se sistant corã nostro Vicario Generali, vt nimirum constet de licentia, ex qua habitum regularem deferunt.

109 Idem ferè, ac sub ijsdem pœnis præcipitur pro eius generis hominibus, qui Eremitarum nomine, aut prætextu incedunt, quibus eiusmodi habitum, & caputium, etiam ex voto, aut deuotione, quacumque dispensatione sublata, prohibemus sub pœna carceris, aut exilij iuxta personarũ, & rei qualitatem.

110 Regularium Domus post infrascriptũ decretum erectæ, in quibus duodecim saltem Religiosi non degunt, nostræ Visitationi, correctioni, atq; omnimodæ iurisdictioni subijciantur iuxta formam Decreti Vrbani VIII. de celebratione Missarũ. *Const. 43. parag 14. &. 4. bull. Cle rub.*

111 Sacræ Scripturæ lectionem, si commodè fieri potest, Regulares in suis Monasterijs, vel Conuẽtibus habeant ad præscriptum Sancti Concilij Tridentini.

112 Censuras, & interdicta, à Nobis pro-

 mulgata,

sess. 25. c. 12 de regul. mulgata, in proprijs Ecclesijs publicent, atq; seruent. Nulla prorsus renunciatio, aut obligatio nouitij ante professionem facta valeat, nisi iuxtà formam à S. C. Trid. præscriptam fiat cum nostra licentia, vel nostri Vicarij Generalis intra duos menses proximos ante professionem, & non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter facta, etiam iurata, nulla, & irrita censeatur. Nolentibus verò profiteri Superiores bona restituere etiam per censuras à Nobis compellentur.

113 Quicumque Regularis in professionis nullitate non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi caussas nullitatis, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & Nobis, iuxtà Tridentinam Constitutionem: quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcúq; caussam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur. *sess. 25. c. 19 de regul.*

114 Regulares de manibus laicorum Ecclesias, & decimas recipere absque nostro consensu non audeant, nec alia exequi, quæ *cap. cum et plantare de priuileg.*

per Sanctum Lateranense Concilium prohibentur.

115 Ad reddendam coram Nobis ratione gestæ Testamentorum executionis compelluntur, & si malè gesserint, puniendi sunt.

116 Ob leuem Clerici sæcularis percussionem à Nobis obtinent absolutionem.

117 Administrantes Clericis, vel laicis Sacramentum extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ, vel Matrimonij sine licentia Parochi, aliaq; exequentes, quæ Clem. Pap. V. in Concilio Viennensi illis prohibuit, à Nobis publicè denunciandi erunt excommunicati: & qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderũt, à Nobis etiam denunciari debent, vt ab alijs euitentur: quod etiam in exemptis obtinet locum.

118 Regularium controuersias de præcedentia, cum in processionibus publicis, tũ in tumulandis defunctorũ Corporibus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumq; ad Nos componere spectat: & quidem breui manu, summariè, ac de plano, sine strepitu, & figura iudicij.

119 Prædicantes errores, (quod absit) &

ſcandala in populo diſſeminantes, etiamſi in monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicent; ſciant ſe à Nobis prædicationis officio omnino priuandos.

Conſt. uniuersi to. 4. bull. Cher.

120 Quoad ſollicitantes pœnitentes ad turpia in confeſſione, Grægorianam Conſtitutionem ſeruari mandamus.

S.Cong.rit. 19. Maii 1614. et 26. Febr.1628.

121 Extra clauſtra, vel extra ambitum ſuorum Monaſteriorum proceſſiones abſque noſtra licentia, ac Parochi conſenſu facere non præſumant.

Nec in ſuis Eccleſijs in SS. Corporis Chriſti feſtiuitate proceſſionem facere; aut feſtiuitatem celebrare.

122 Neq; exponere SS. Euchariſtiam abſque eo, quod Epiſcopus cauſſam approbet exponendi; quæ publica, non autem priuata eſſe debet; pro cauſſa verò priuata è Tabernaculo non extrahatur, ſed velata exponatur in oſtiolo Tabernaculi, aut in pyxide velata cum luminibus, & aſſiſtentia, ita vt nec hoſtia videatur: niſi ſpeciali priuilegio ſint ſuffulti, quod Nobis oſtendere teneantur.

123 Norint in eos, alioſq; quomodolibet exemptos animaduertere nos poſſe, qui Conſtitutiones Pauli V. ac Greg. XV. ſuper

Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ transgrediuntur.

124 Abstineant ab absolutione peccatorum Nobis reseruatorum: id enim ipsis non solum communi iure prohibetur, sed etiã decreto Clem. VIII. sub pœna excommunicationis, & priuationis officiorum, & Paulus V. anno 1617. & Vrb. VIII. anno 1628. 17. Nouemb. declarauit dicta Decreta etiam extra Italiam vim obtinere. S. Cong. 7. Aug. 1630.

125 Nec in eorum Ecclesijs Sacerdotes Seculares exteros ad diuina officia celebranda admittant: nisi prius à Nobis, vel nostro Vicario Generali, visis litteris commẽdatitijs, ipsi Sacerdotes admissi fuerint.

126 Sciant etiam nostræ curæ subiecisse Sacrum Concilium Tridentinum Clausuram Monialium etiam ipsis Regularibus subiectarum; proindè nos posse Moniales ipsis subiectas, aut aliter quomodolibet exemptas, toties visitare, quoad clausuræ obseruantiam, quoties Nobis videbitur expedire, easq; interrogare, & examinare super his, quæ ad clausuram pertinent. S. Cong. Ep. 24. Nou. 1617.

127 Quod si ipsi Regulares circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationẽ Mona-

nasteriorum Monialium eis etiam subiectarum quoquomodo delinquant, à Nobis puniri, ac corrigi posse, quamuis delicta huiusmodi non sint notoria, neq; cum populi scandalo.

S Cong su per d. const inscrutab.

128 Item confessores, siue Regulares, siue Sæculares quomodolibet exempti tam Ordinarij, quā extraordinarij ad confessiones Monialium etiam ipsis Regularibus subiectarum audiendas, deputari non possunt, nisi prius à Nobis idonei iudicentur, & approbationem obtineant.

Nec sufficit generalis approbatio ad Confessiones sæcularium personarum audiendas, sed necessaria est, quoad hoc, specialis, & pro tali Monasterio: Extraordinarij verò toties erunt à Nobis approbandi, quoties casus deputationis contigerit: non obtenta autem à Nobis approbatione prædicta, Confessiones huiusmodi nullæ, atq; irritæ erunt.

129 Insuper administrantes bona Monasteriorum Sanctimonialium etiam Regularibus subiectarum, siue sint Regulares, siue sæculares quomodolibet exempti, Nobis, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis

tionis reddere teneantur, ad idq; per Nos cogi possint.

130 Præterea ex rationabili caussa Superiores Regulares admonere Nobis licebit, vt amoueant Confessores, atq; Administratores prædictos: quod si id facere detrectent, aut negligant, ipsi eos amouebimus, quoties, & quando opus esse iudicauerimus, neq; huiusmodi caussam ipsis Superioribus Regularibus significare vllatenus tenemur. *S. Cong. super ea.*

131 Adhæc intelligant Electionibus quarumcumque Abbatissarum, seu Præfectarum etiam ipsis Regularibus subiectarũ, quocumque nomine appellentur, vna cum ipsis Superioribus Regularibus per nosmetipsos, vel per alium à Nobis deputandum velle interesse, ac præsidere: ipsi verò obstringuntur Nobis significare diẽ electionis, Nosq; vsq; ad præfinitum tempus expectare: quod si ante tempus significatum, aut die electionis Nobis non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedãt, in ipsos Nobis animaduertere licebit. *D S. Cong. super dict. constit.*

132 Demum si Regularis absq; legitima licentia accedat ad Monasterium Monialium etiam Regularibus subiectarum,

ibiq; in loco colloquijs destinato ; cum Monialibus colloquatur, à Nobis erit puniendus.

133 Atq; hæc quidem omnia norint Regulares, & exempti quomodocumq; locum obtinere, non obstantibus quibuscumque Priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis; statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, quibus omnibus dicta Gregoriana Constitutio penitus derogauit.

134 Quoniam emanauit decretum à SS. D. Vrbano Papa VIII. quo conceditur, & præscribitur Ordinarijs circa accessum Regularium ad monasteria monialium ad colloquendum cum eis, tenoris sequentis videlicet: Cum aliàs de Anno 1590. per sacram Cardinalium, negotijs Regularium Præfectorum, Congregationem, de mandato fel. record. Sixti Papæ V. circa accessum Regularium cuiuscumq; Ordinis ad Monalium Monasteria fuerit decretum; quod nulli Religioso cuiuscumq; Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat, Superiore, cui Monasterij, seu Domus cura incumbit; Visitatore, vel Visitatoribus; Confessarioq; ordinario, & extraordinario cum ad tempus deputabitur; dumtaxat

excep-

exceptis, liceat absq; licentia expressa eiusdem Sacræ Congregationis, accedere ad Monasteria, seu Domus quarumcumque Monialium, vel sororum, siue sui, siue alterius cuiusuis Ordinis ad colloquendum, siue tractandum cum eis: Quod si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu sororum Ecclesijs, siue Oratorijs exterioribus, siue extrà claustra existentibus, mitti contigerit, ne dicti Religiosi vllo quæsito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausurā degentes alloqui possint, sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, alijsq; eiusdem Sacræ Congregationis arbitrio; fueritque postmodum declaratum, etiam Equites S. Ioannis Hierosolymitani, sub eodem decreto comprehendi, & quoscumq; contrafacientes ab alio, quàm ab Apostolica Sede, aut à Sacra Congregatione absolui, & rehabilitari non posse. Eademq; decreta ijdem Amplissimi Sacræ Congregationis Patres innouanda, ac inuiolabiliter obseruanda statuerint, facto verbo cum SS. D.

N. Vrb. VIII. de eiusq; Ordine, & mandato facultatem tribuerint in posterum locorũ Ordinarijs; vt quatenus opus sibi visum fuerit in Domino expedire, licetiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumq; Regulari vt Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui possit: id verò non aliter, quàm seruata ad vnguem forma infrascripta; vt id nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, feria Sexta, Sabbato, & Vigilijs, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio ad quem spectet eam concedere, consignetur Confessario ordinario Monasterij, qui eam penes se retinere debeat; illisq; associet, & præsens sit, & Auscultatrices de more non autem aliæ assistant, prædictaq; licentia pro die, & hora certa, & in scriptis concedatur, in librisq; Cancellariæ eiusdem Ordinarij annotetur. Quod si prædicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter, quàm seruata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint; sciant se intentionis SS. D. N. & Sacræ Congrega-

tionis Transgressores, iudiciumq; reformident: Regulares autem pœnis in supradicto Decreto contentis, acsi nullam licētiam obtinuissent, eo ipso se nouerint esse addictos, & arbitrio Sacræ Congregationis seuerius puniendos. Nos, vt par est, Apostolicis cupientes obedire mandatis, sæpius Edictis promulgatis huiusmodi Decreta ad vnguem obseruari mandauimus: atq; hac Synodali Constitutione denuò inuiolabiliter custodiri præcipimus. Quod si aliquis Regularis absq; huiusmodi licentia Monialem alloquatur, sciat se, præter lethalem culpam, vt Sacra Congregatio declarauit, nostris carceribus fore mancipandum, ad eiusq; Superiorem remittendum à quo iuxta S. C. Trid. Constitutioné puniatur, qui illum voce actiua, & passiuà priuatum, intra tempus à Nobis præfigendum, declarare debet, Nosq; de punitione facere certiores, & sin minus à Nobis plectendus erit. S.Congr. 1. Iul.1608. sess.25.c.14 de regul.

135 Licentiæ alloquendi Moniales Regularibus subiectas à Nobis, seu à nostro Vic. Gener. & à Superiore Regulari cóiunctim concedendæ sunt: ita tamen vt Nos, Nosterué Vic. Gener. primo loco subscribat. s.Cong Ep 15. Febru. 1595. 21. Februar.1617

Idem seruandum erit quoad licentias eorum, quibus ordinariè intra septa Monasteriorum earumdem Monialium ingredi necesse est. Edicta verò, quibus personis sæcularibus ad dictarum Monialium Monasteria accessus prohibetur, à Nobis duntaxat subscribenda, & publicanda sunt.

ca ueniens de præscrip

136 Regulares, & exempti quicumq; in ijs, quæ sunt Ordinis Episcopalis, vt in petitione Chrismatis, Olei sancti, Consecrationis Ecclesiarum, &c. Nobis à sacris Canonibus subijciuntur.

137 Dies etiam festi, quos in nostra Diœcesi seruandos præcipimus, ab Exemptis omnibus etiam regularibus obseruari debent.

Sess. 7. c. 14.

138 In caussis mercedum, & Miserabilium personarum, Nobis subduntur, tum Regulares, tum Clerici sæculares, quomodolibet Exempti, in casu S. C. Trid. In impressione librorum, quæ absq; nostra approbatione fieri nequit. In Ordinibus suscipiendis. In Indulgentiarum publicatione, iuxtà Tridentinam Constitutionem, Et in concernentibus curam animarum, & Sacramentorum administrationem, quàm fortè Regulares, aut Exempti exercent:

Etiam si sint Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani.

139 Monasteria commendata, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositura nuncupatæ, in quibus non viget regularis obseruantia, nec non Beneficia tam curata, quã non curata, Sæcularia, & Regularia qualitercumq; commendata, etiam exempta, à Nobis annis singulis visitari possunt, non obstantibus Priuilegijs, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, alijsq; quibus expressè Sacrosancta Tridentina Synodus derogauit.

Leo in consti. 22. dum intra, Pius V. in consti. exposcit edita 22. septemb. 1571. Greg. 14. in consti. 4. edita ult. Apr. 1591.

140 Debent vocati ad publicas processiones accedere Exempti omnes, tam Sæculares, quam Regulares, etiam Monachi: sin minus, ad illas per Nos etiam per censuras compellentur. Ij tamen excipiuntur, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt, vel speciali priuilegio sunt suffulti.

141 Regulares omnes, etiam Canonici, in publicis processionibus nè deferant suas Cruces discoopertas, sicut defert Clerus, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sed cum velo, seu pallio appenso.

S. Cong. rit. 14 Ian. 1617

142 Intelligant autem Regulares omnes, cæteriq; quomodolibet exempti, quod si

Nobis

Nobis legitimè visitantibus Monasteria regularia, etiam exempta, aut alias Ecclesias quomodolibet exemptas; ipsi defacto resistant, & ostia claudant; posse Nos illa frangere, ac vim vi repellere, etiam vocato ad id brachij secularis auxilio: & ad nostri iuris defensionem, in actu manifestæ violentiæ Nobis illatæ, vim vi repellendo, resistentes defacto, nulla prorsus monitione præcedente, excommunicare.

cap. dilecto de sent. excom. in 6.

143 Caueant Regulares cuiuscumq; Ordinis, & quomodolibet exempti, nè absque Sum. Pontif. assensu, aut certè nostro, nostrisq; litteris testimonialibus (cum quibus nonnisi vna tantum in singulis locis institui permittitur) erigant intra septa Monasterij Confraternitates, aut Congregationes laicorum, aut etiam Sæcularium Clericorum contra expressam Clem. Papæ VIII. constitutionem. Si verò aliquas habeant ante prędictam constitutionem forsitan erectas, à Nobis nouas erectionum litteras petant. Statuta autem pro recto illarum regimine à Nobis examinari debent, nostrisq; decretis, moderationi, & directioni semper subijcientur; Visitationique nostræ illas esse subiectas Sacra

Con-

Congregatio sæpè declarauit; & earum quoq; Cappellas, & Altaria, in ijs, quæ earumdem Confraternitatum, & Congregationum administrationem respiciunt.

Neq; sinant vllo modo eiusmodi Congregationes post Angelicæ salutationis signum, cuiuscumq; spiritualis exercitationis nomine amplius conuenire, vt omnis scelestorum hominum fraudibus, ac nefarijs machinationibus aditus præcludatur.

144 Quoad ea autem omnia, in quibus vigore Conc. Trid. Regulares Nobis subdűtur, cogi quoq; possunt per Censuras Ecclesiasticas; etiam per Excommunicationem, non obstantibus ipsorum Priuilegijs, & exemptionibus; sub quibuscumq; formulis verborum conceptis; atq; etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus.

145 Exempti omnes, à Nobis requisiti, suæ Exemptionis Priuilegia, in loco tamen congruo, ac securo ostẽdere obstringűtur. *c. cum personæ de priuileg. in 6.*

146 Si crimen extra locum exẽptum committant, coram Nobis conueniri poterũt, dum tamen in nostra Diœcesi delinquant. *c. de priuil. in 6.* Idemq; ratione contractus, vel rei litigiosæ sitæ in dicta Diœcesi seruandum erit;

nisi aliud in Priuilegio statuatur.

147 Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas singulis annis auctoritate Apostolica visitare tenemur iuxta Tridentinã constitutionem, aliaq; loca pia, etiam exceptionis priuilegio munita: quod quidem Decretum habet etiã locum in ijs Ecclesijs sæcularibus, quæ in nullius sunt Diœcesi, si nostra Cathedralis Ecclesia eis proximior existat.

148 Hospitalia quæcumq; vt fideliter, ac diligenter gubernentur à suis Administratoribus etiam quomodolibet exemptis, seruata Clementinæ Constitutionis forma, sedulò curabimus.

Clem quia contingit de relig. domibus.

149 Exemptioné à nostra iurisdictione nõ habere Protonotarios honorarios, aliosq; in Tridentina sanctione nominatos, hac Synodali declaramus.

150 Exempti quicumq; offendentes officiales Curiæ nostræ Archiepiscopalis in actũ exercendi officium suum, aut impedientes nostram iurisdictionem, etiam si sint Milites S. Ioannis Hierosolymitani, à Nobis coërceri, & puniri debent.

CAP.

CAP. VII.

De Monialibus.

151 PAstorali nostræ sollicitudini nihil magis à SacrisCanonibus,Concilijs Pontificum Constitutionibus, præcipuè verò à S. Tridentina Synodo commendatum est, quàm Monialium regimen, quæ relictis mundi illecebris, cælesti sponso se adiungere decreuerunt, vt in rerum diuinarum contemplatione liberius conquiescerent. Id autem, nonnisi statutis piè,rectèq; viuendi formulis, regulisq; religiosæ perfectionis obtineri experimento comperimus: aptissimè enim à plerisque religiosorum Ordinum Regulæ vocantur Vincula, quibus tria Vota,Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ veluti colligata conseruantur: Sepimenta, quibus lex Dei munita circumsepitur; Nerui, & ossa Religionis, sine quibus mysticum illius corpus consistere minime potest: Scala, cuius gradibus homo Deo dicatus ad perfectionis culmen attollitur: spiritales Aphorismi, quibus præcepta traduntur

curandi ſpirituales animi morbos: Fulcra, quibus religioſi profectus ædificium fulcitur: deniq; ſpeculum, in quo quiſque ſuæ religioſæ vitæ incrementa, vel decrementa perfectè inſpicere poſſit. Quas igitur Regulas prędeceſſores noſtri ex iiſdem Sacris Canonibus, Concilijs, Pontificum Conſtitutionibus, & Sacroſancta Tridentina Synodo hauſtas, communiq; experimento pro temporum ratione probatas, Sanctimonialibus cuſtodiendas propoſuere, hac Synodali Conſtitutione innouandas, ac inuiolabiliter obſeruandas præcipimus, ac mandamus:

152 Principio igitur ea omnia, quæ de Eccleſiæ fabrica, deq; eius ornatu, ac diuinis officijs tradita ſunt, hic etiam pro ſuo quęque modo accomodentur.

153 Itaq; Monaſterij ianuæ, nec ante Solis ortum, nec poſt eius occaſum vllo modo ſint apertæ; at ianua ſeptorum Monaſterij, ſeu clauſuræ noctu duabus clauibus diuerſis occludatur, duabus intrinſecus, tertia extrinſecus, & illarum vna ſeruetur à Cœnobij Præfecta, altera à ianitrice antiquiore. Clauis autem exterioris ianuæ ei committenda eſt; quem fidum, probum, aptumq;

tumq; Nos ipsi iudicabimus.

154 In singulis functionibus communibus, is vnicuiq; locus assignetur, qui iuxta antiquitatis gradum cõtigerit, in choro, in refectorio, in dandis suffragijs, in confessionibus. Nouitiæ verò, & puellæ sæculares in ijs Monasterijs, in quibus educantur, seiuncto, ac diuiso loco seponantur.

155 Ianitrices custodiendis, aut aperiendis, claudendisq; foribus iugiter assistant, & omni sollicitudine, quæ ad Collocutorium euocantur, accersant.

156 Nulla autem Monialium clauem habeat apud se, vel Collocutorij, vel Confessionalis, vel alicuius alterius officinæ. Curæ sit superioris, ne ad officia, quæ per Moniales obiri possunt, introducantur externi: quod si vrgente necessitate id fiat, Præfecta quàm primum expediat, & ante signum salutationis Angelicæ omnino dimittat.

157 Porro huiusmodi homines, quibus ob necessariam caussam Monialium septa ingrediendi facultas aliquando datur, nimirum Medici, Confessarij, Vectores, ac cæteri quicumq; per monasterium sine comitibus nusquam incedant, nec alteri cui-

piam præter ipsas comites eos alloquendi facultas sit, nisi de Superiorum licentia. Cæterum huiusmodi homines arma in Monasterium inferre non audeant, sed foris deponant.

158 Non liceat depositi, aut custodiæ caussa in Monasterio habere pecuniam, gemmas, vestes, aut eius generis res vllas cuiusuis personæ.

159 Abbatissæ assistant binæ Moniales ex antiquioribus; quæ tamen in collocutionibus reliquarum Monialium officij gratia recedant.

160 Omnes verò Sanctimoniales ex præscripto S. C. Trid. in Domino admonemus, vt saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctā Eucharistiam suscipiant, vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas.

sess. 25. c. de regul.

161 Moniales cum nemine colloquantur, nisi is licentiam scriptam attulerit, quę accipiatur ab ijs, quæ rotæ sunt præpositæ, & ad Præfectam deferatur, quæ vbi scriptum legerit, facultatem colloquendi concedat in communi collocutionis loco; non ad ianuam, neq; in Ecclesia, aut Confessionalibus:

nalibus: Et multo minus in fenestella, in qua sacra Synaxis monialibus ministratur. Adstet autem semper, quæ sermonum audiendorum curam habet, & Auscultatrix nuncupatur, quæ fungatur officio suo fideliter, studiosè animaduertendo, si quicquā proferatur indignum ancillis Dei, vt Abbatissæ renunciet. Hoc autem decreto colloquendi facultas sine nostra licētia scripta, tribuitur cum ijs tantum, qui primo, aut secundo consanguinitatis gradu coniuncti sunt. Cæterum tempore diuinorum officiorum, & comestionis cunctis collocutionibus interdicimus.

162 Quoniam autem circa accessum ad Moniales, earumq; colloquia, nostri regiminis initio Edicta promulgari mandauimus; eorum formam sub pœnis inibi statutis inuiolabiliter obseruari præcipimus: & speciatim pœnam excommunicationis in Edictis latam contra alloquentes sine licentia cum Monialibus, ipso facto, ipsoque iure incurrendam, Nobisq; reseruatā, denuo indicimus, atq; innouamus.

163 In festis autem principalibus Monasterij crates locutorij, & confessionalium clauibus obserentur, nec vlli potestas fiat

 quem-

quempiam alloquendi.

164 Quia verò ad Moniales in primis attinet laudare Deum assiduè, eidemq; gratias agere, & hominibus diuinam misericordiam impetrare, omnes diu, noctuq; chorum frequententi, sacrisq; officijs religiosè intersint, quæ quidem attentè, ac distinctè studeant recitare. Ab ijs autem nulla Monialium se subducat, nisi fortè aliquam iustas ob caussas Præfecta excusandam putauerit.

165 Adsint autem singulæ initio diuinorũ officiorum, quibus certæ horæ statuantur, nec sine publica necessitate varientur. Cõgruenti habitu sint indutæ, & in suis quæque locis ad finem vsq; persistant, nisi necessitas aliud postulauerit.

166 Accendantur in Choro ea lumina, quę satis fore videantur; cantus autem, & modulationes sint pro festorum dierum diuersitate diuersæ; genuflexiones, sessiones, capitum inclinationes; cæteraq; prout feret Ordinis Regula, ritè seruentur. In Choro autem ne immorentur, nisi orandi caussa, vel diuini officij persoluendi.

167 Quod si ipsarum aliqua in Choro ob iustam caussam abesse contigerit, sciat se

ad

ad recitandas priuatim horas Canonicas sub lethalis culpæ reatu omnino obligari ex immemorabili sanè consuetudine in omnibus huiusce Vrbis, ac Diœcesis Monasterijs inuiolabiliter hucusq; rigide obseruata; quam nihilominus hodie vigere præsenti Synodali constitutione declaramus, & eiusmodi esse, vt culpæ mortalis reatum, si violetur, inducat.

168 Locus laboribus aptus in vnoquoque Monasterio extruatur, qui situ illustris esse debet, nec ab vlla parte obscurus: Moniales eò conueniant, exceptis horis diuinorum officiorum; laboribus magistra præficiatur; nec vlla Monialis, præter eam in operibus, vel accipiendis, vel restituendis se ingerat; curet autem, vt, dum in laboribus exercentur, lectio de vita spirituali adhibeatur, ne sermones, aut cantus inferantur, nec vlli discedendi facultatem faciat, nisi iusta ex caussa.

169 Constituatur capsa, vt in illa communis pecunia reponatur præsentibus Monasterij Præfecta, ac Vicaria; magistra verò laborum librum certum habeat, in quo quidquid lucri, emolumentiq; capitur, enucleatè perscribat, vt possit facilè, ac di-

stinctè dispicere, quid nam pecuniæ fuerit ex cuiusq; laboribus comparatum.

170 Communis ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, omnino retineatur; extra eum Monialis ęgrotans ne cubet, nec valetudine recuperata illic diutius immoretur; neq; etiam extra illum Medicus vllam inuisat, aut Sacerdos Confessiones audiat, nisi aliud peculiaris occasio Nobis probanda postulet. Ægrotantibus suppeditentur omnia sumptibus Monasterij, alimenta, lectuli, medicamenta, cæteraque necessaria.

Eligantur Moniales cum sororibus auxiliaribus inter omnes sollicitudine, sedulitate, & charitate conspicuæ, quæ ægrotantium curam gerant, ac tales se illis pręstent, quales experiri vellent cæteras, si ipsæ ægrotarent.

Præfecta curæ ægrotantium, & Cellararia pecuniarum expensarum rationes perscriptas habeant, & singulis mensibus, Abbatissę referant, vt quomodo se res Monasterij habeant, intelligere possit.

171 Antiquus, & probatus vsus communiũ dormitionis locorum non immutetur, cuius claues à Præfecta asseruentur; singulæ

in ſingulis lectis, & ſingulis cellis dormiant. Dato autem ſigno eundi cubitum, vnaquæque cum ſilentio, & ſollicitudine in ſuas cellas ſe recipiat, vbi nihil, niſi neceſſaria reponant: veſtimenta enim, veſteſque omnes in loco veſtiario ſunt aſſeruanda.

172 Tempore comeſtionis ad ſonum campanulæ conueniant extemplo ad benedictionem menſæ, quam Præfecta ipſa, vel Vicaria, & ipſis abſētibus, antiquior faciet.

Diſcumbant loco, & ordine antiquitatis, niſi forte aliqua ſuperuenerit, inchoata menſa, cui commodior ſeſſionis locus aſſignabitur.

Menſa ſacra lectione condiatur, & in dies ſingulos vnum aliquod ex Regulę capitibus prælegatur, omnibus cum ſilentio, & attentione audientibus, vt vna cum corpore, mens etiam recreetur.

In cibo, potuq; omnes communiter viuant: quæ autem eſculenta alicui donata erunt, Abbatiſſæ afferātur, quæ vel in omnes diuidet, vel Moniali, cui dono allata ſunt, relinquet.

Vicaria, antequam detur edendi ſignū, coquinam inuiſat, num omnia aptè ſint

parata, nè quid desideretur. Plures duabus mensæ non admittantur in communi Triclinio, aut Refectorio; quod etiam seruetur tempore Aduentus, & sacrorum ieiuniorum, tum in cœna, tum in vespertina refectiuncula capienda.

In singulas hebdomadas exponatur tabella cum indice Monialium, quæ coquinę, aut triclinij seruitio sunt addictæ: quæ delectæ fuerint, vt obedientia postulat, officia suscipiant, & eorum munera sine excusatione humiliter exequantur; nec vlla quouis modo ab huiusmodi ministerio sit exclusa.

173 Magistra Nouitiarum ita illas instruat, vt Moniales ne alloquantur quidem sine ipsius concessu: nec de admittenda ad professionem Capitulum cogatur, quin Præfecta à Nobis licentiã obtinuerit, vt & bonis renunciet, & voluntatem profitendi aperiat ex Trid. Conc. statuto.

174 Nulla vmquam recipiatur in Monialé, nisi prius parentes, fratres, vel curatores promptam habuerint in dotem integram pecuniæ summam scutorum mille, ex qua puellæ nomine annuus redditus comparetur, accedente Monasterij consensu; eiusq; fru-

fructus vsq; ad professionis diem alimentorum nomine Monasterio acquirantur. Emissa professione integer redditus absolutè sub Monasterij dominium cadet.

175 Caueat Præfecta iuxta Tridentini decretum, ne excepto victu, & vestitu Nouitiæ, quocunq; prætextu à parentibus, & propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur tẽpore, quo in probatione est; nec vltra necessariam dotem, alimenta, & moderatam puellæ supellectilem quicquam exigatur; quod si oblatum sponte fuerit, nomine eleemosynæ accipiatur. *d. sess. 25. c. 16 de regul.*

176 Puella habitum non suscipiat, nisi maior sit annis duodecim, & Sacramento Confirmationis signata, eumq; postquam Monasterium est ingressa, infra dies XV. iuxta præscriptum Regulæ induat: in habitus susceptione, gentilium fœminarum nomen non assumat, sed Sanctarum, quæ ab Ecclesia celebrantur. *d. cap. 17.*

177 Ad professionem non admittatur, nisi Præfecta ante mensem Nos ea de re certiores faciat, puellæ mores, vitæq; consuetudinem deferens: num item eiusmodi qualitatibus prædita sit, quas Monasterij, &

Ordinis regula postulat; & præsertim an congruè legere sciat. Neq; ad habitum suscipiendum admittatur, neq; postea ad professionem emittendam, nisi prius eius voluntas iuxtà Tridentinam Constitutionem exploretur.

178 Tam in habitu suscipiendo, quàm in professione admittenda, is Ecclesijs ornatus adhibeatur, quæ spiritualis lætitiæ signa manifestentur; & ea prorsus amoueantur, quæ in celebrandis nuptijs hominum vitio, & corruptela irrepserunt. Quapropter ad huiusmodi occasiones tollendas, caueant Abbatissæ ne eo die templa aulæis exornentur, aut cantus musici, & modulationes adhibeantur; nec liceat, nisi eos, qui Nouitiæ sunt consanguinitate, aut affinitate coniuncti ad eam celebritatem admittere. Si Præfecta id facere neglexerit, nostro arbitratu seuerè puniatur.

179 Suffragia ferent secreto, alioquin actus sit irritus, & nullus: singula singulæ perseipsas, non per alias, nullo affectu impeditæ, & quidem ad eum numerum, quem regulæ institutum exposcit.

180 Professionis anni, diei, Mensis, dotisuè memoria conseruetur in libro ad eum

vsum

vsum confecto, adhibita etiam subscriptione eius, quæ professa sit, modo scribere nouerit.

Præfecta, & Moniales bona Monasterij alienare, locare, cedere, aut aliter quomodocumq; contrahere nullo modo possint, nisi scientibus, & consentientibus Nobis, seruatis item ijs, quæ de iure seruari debent; nec quicquam ædificent, etiam si minimum sit, nisi facultate nostra præhabita.

181 Abstineant Moniales à Muneribus dandis directè, vel indirectè, palam, vel occultè tam in communi, quàm in particulari, etiam ex caussa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus regularis, aut professionis emittendæ; nec proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, &c. iuxta Bullam editam à fel. record. Clem. Papæ VIII. de munerum largitione, eiusq; innouationem ab Vrb. Pap. VIII. factam.

Ne autem debita erga consanguineos, & benefactores officia omnino denegari videantur, fas erit singulis Monialibus bis in anno videlicet Sanctissimis Natiuitatis, & Resurrectionis Domini diebus, esculenta, & leuiora munuscula ijs largiri, quæ

non

non excedant summam vnius aurei proquálibet vice.

182 Nulla Monialis, siue velata, siue conuersa possit eleemosynam dare, largiri, aut vendere res esculentas, vestes, aut bona cuiusuis generis sint, etiam si ad eius vsum fuerint attributæ.

Integrum tamen est Præfectæ Cœnobij aliquam designare, quæ mensæ reliquias, aliaq; huiusmodi pauperibus Monasterij nomine, largiatur.

183 Redditus, & prouentus omnes Monasterij apud Vrbis Tabulam deponantur, nec inde expendantur, nisi ad Detentoris chirographum, Superioris per Nos electi, Deputati, Præfectæ, & Protectoris Monasterij subscriptionibus obsignatum.

184 Peculiares verò redditus nonnullarum Monialium, si qui fuerint, tamquam Monasterio acquisiti per officiales Monasterij exigantur, exacti verò in pios, & necessarios vsus earumdem erogentur. Rerum verò mobilium vsum iuxta Tridentini formam ita eis permittimus, vt earum supellex statui paupertatis conueniat, nihilque superflui in ea sit: nihil etiam desit, quod eis necessarium censeatur.

d sess 25. c. 20. de regul

Ex-

185 Expensæ omnes in librum referantur, vbi, & diaria, & codices rationum in ordinem, rectèq; disponantur; vt indè facilè, tum accepti, tum expensi ratio subduci possit.

186 Abbatissa, & quocumq; alio nomine Præfecta eligatur, quæ habeat conditiones à Tridentino requisitas. Qua in electione præter ea, quæ ibi præcipiuntur, seruentur ex mente eorumdem Patrum Constitutiones singulorum Ordinum, vel Monasteriorum. Eius curæ est clausuram custodire; ac diligenter cauere, ne è vicinorum ædibus Monasteria introspici possint; si quid contra factum fuerit illico Nos moneat; de iure enim, & nostro etiam iussu prohibentur constructiones ędificiorum, vnde prospectus pateat in Monialium monasteria. *ibid c. 7.*

187 Vt omnis fraudis, ac negligentiæ suspicio amoueatur, bonorum omnium, & iurium ad Monasterium pertinentium inuentarium ritè conscriptum Præfecta statim ac electa fuerit infra duos menses ad Archiuium Archiepiscopale trāsmittat.

188 Quæ in regulari obseruantia vnaquęq; deliquerit, ea singulis hebdomadis, coacto

per Prȩfectam Monialium cœtu, in eum locum, qui peculiariter culparum Capitulo fuerit destinatus, cum charitate corrigantur. Ibi suam queq; culpam ingenuè fateatur, ac venia humiliter petita, impositam pœnam alacriter exsoluat.

Verum, ne quȩ hic secreto aguntur, ad exteros, non sine magna religiosȩ disciplinȩ iactura euulgari contingat; serio Monialibus singulis, ac seuerè prȩcipimus, vt ea apud se habeant, nec eorum quidpiam cum externis, etiam si propinqui fuerint, aut parentes, ijs de rebus communicent; alioquin priuationem vocis actiuȩ, & passiuȩ, aliasq; pœnas nostro arbitratu irrogandas incurrisse se intelligant.

189 Singulis annis coram Deputato, & cȩteris officialibus, impensarum, quæ in victum, aliumq; Monasterij vsum erogatæ fuerint, rationes à Prȩfecta repetantur. Hi autem conueniāt singulis hebdomadis, vel ad summum quintodecimo quoq; die, vna cum Deputato Monasterij ad habēdas Deputationes, & eas quidem in locutorio, numquam autem in Ecclesia, de rebus, ac rationibus Monasterij. Item accuratè pro modo facultatum præscribatur quantum tritici,

tritici, vini, obsonij, aliarumq; rerum ad sustentationem, ac ad reparationem Monasterij repartiendum est: à præscripta verò hunc in modum mensura nemini discedere liceat, sub pœnis nostro arbitratu infligendis.

190 Nulla Monialis ambiat Præfecturam vllo quouis modo, vel sibi ipsi, vel alteri Moniali, siuè directè per se, siuè cæterarũ opera, neuè id minis, precibus, oblationibus, aut affinium adiumento attẽtare præsumat sub pœna priuationis actiuæ vocis, & passiuæ, & alijs arbitratu nostro imponendis.

191 Nulli Moniali fas sit, ad quemquam secreto litteras scribere, præter Superiorẽ, si de re aliqua esset admonendus; nec ad se missas aperire, & legere, nisi Præfecta prius legerit. Quo circa nec atramentum, calamum, nec quoduis aliud scribendi instrumentum priuatim vlla habeat; quod si quando scribere necesse erit, id ne faciat absq; Præfectæ concessu.

192 Monialis, aliquo ex affinibus defuncto, non contristetur, sicut cæteri, qui spem non habent: quo circa ne eam ob caussam à Choro, Missæ auditione, & communi etiã 1. ad Thessal. 4.

refectione se subducat.

193 Protectores, caussarum Aduocati, negotiorum Actores, Procuratoresuè, Exactores, rationum, ac librorum Detentores, cęteriq; omnes ministri sine nostro consensu nec admittantur, nec eijciantur.

194 Exactorum est Monasterij pecunias exigere, quod vt sine fraude, ac detrimento fiat, antequam ad ea negotia tractanda admittantur, fideiussionem præstent ad eam summã, quæ Nobis sufficiens videatur: eadem verò lege teneãtur ij, qui nuuc sine fideiussione huiusmodi exactiones agunt. Cæterum annonam curare, ac reliqua, quæ ad victum, vsusq; annuos Monasterij necessaria fuerint, comparare, vinum videlicet, oleum, ligna, carbones, aliaq; id generis, ad Protectorem, & Abbatissam simul spectet; quæ tamen in eam rem Deputati etiam operam, & consilium adhibebit.


195 Confessores iuuandis Monialibus circa res spirituales sedulò incumbant; nihil dono accipiant, Eucharistiam ministrent, illasq; ad viam salutis dirigant.

196 Vt igitur Moniales suæ vocationis, & professionis memoriam sæpissimè renouent,

uent, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, vt ab aliqua Moniali per Abbatissam eligenda cæteris audientibus quotidie legatur caput vnum regulæ, & constitutionum præsentium à primo vsq; ad extremum; ijsq; absolutis à primo rursus incipiatur.

Vt autem id commodius fiat, hasce regulas, aliasque nonnullas, quas breuitatis studio hoc loci omittendas censuimus, ad religiosam tamen perfectionem assequendam valdè vtiles, vernacula lingua exprimi, in vnum Codicem congeri, Ordinationes Monasticas appellari, typisque mandari iussimus: easque omnes non secus ac si his Synodalibus constitutionibus statutæ forent, ab omnibus Monialibus inuiolabiliter obseruari præcipimus, ac mandamus.

Præfectam denique monemus, vt cæteras ad illarum obseruationem non minus auctoritate compellat, quàm inuitet exemplo.



C A P. VIII.

De Puellis in Monasteriis Monialium educandis.

197 QVamuis olim in Concilio Aquisgranensi sub Leone Pap. III. & Aurelianensi V. sub Vigilio Pōtifice sancitum reperiatur, illas dumtaxat Virgines in Sanctimonialium Monasterijs esse educandas, quæ in ijs perseuerãdi animum habeant: nihilominus hodie S. Cōgregatio expressè declarauit nullo prorsus Concilij decreto prohiberi, quominus puellæ inibi educentur: si tamē eadem Monasteria ante Concilium huiusmodi puellas recipere consueuerint, cæterçque conditiones seruentur, quas ad eas recipiendas, ac retinendas intra Monasteria necessarias esse Eadem S. Congregatio decreuit: Nósq; præsenti constitutione recipimus, approbamus, ab omnibusq; recipiendas, & custodiendas districtè præcipimus.

Con. Aquisgr. c. 4. Aurel. can. 6.

S. Cong. 31. Aug. 1575.

198 Ac primum, quoniam specialiter prohibet, nè in Monasterium recipiãtur, quod

illas

illas recipere non consueuerit; huiusmodi esse in nostra hac Vrbe, quæ sequuntur; Monasteria declaramus, videlicet S. Mariæ Virginum, S. Claræ, S. Mariæ Vallis Viridis, & S. Mariæ Montis Olineti sub vocabulo Abbatia Noua.

Præterea Abbatissæ, ac Monialium consensus capitulariter congregatarum, ac per secreta suffragia præstitus ad puellæ receptionem omnino requiritur. Tum licentia nostra scripto exarata: præter autem hæc duo; necessaria erit eiusdem S. Congregationis licentia, quæ Nobis, vel Vicario nostro Generali præsentanda erit, & in nostro Archiuio recondenda: aliàs inualida censeri debet. Quod si puella post receptionem nimis differat ingressum, nouum Monasterij consensum adhibendum esse decernimus. *S. Cong. 17. Maii 1603.*

199 Quamuis huc vsq; educandarum numerus vnicuiq; præfatorum Monasteriorum minime sit deputatus; Nos, S. Congregationis decretum amplectentes, eum quam primum constituemus, quem postea omnino obseruari præcipimus. *d. S. Congr.*

200 Nullam prorsus secum sociam, aut famulam puella educanda, quamuis valde

nobilis,

nobilis adducat, nisi id S. Congregatio specialiter indulserit. Minor septem; aut maior viginti quinque annis admittenda non est. Quod si ingressa 25. annum compleuerit, statim egrediatur.

Alimentorum caussa Monasterio non minus soluatur scutis quinquaginta in singulas quolibet semestri anticipatim; secus ad suos remittentur.

Præstandam verò esse idoneam cautionem soluendorum alimentorum hac præsenti constitutione decernimus: super quo Deputati, Protectoris, Abbatissæ, aliorumq; Monasterij officialium conscientiã oneramus. Nullo autem modo permittẽdum erit, quod earum parentes illis diecim victum transmittant, sicq; à soluendis alimentis liberentur.

201 Habere debent dormitionis locum à Monialibus separatum: quin & à loco, in quo ipsæ Moniales operibus manuum vacare solent: Monasteria verò, quibus id deest, S. Congregat. Decreto inepta sunt ad puellarum educationem.

202 Clausuræ leges, dum inibi degunt, easdem seruare debẽt, quas Moniales ipsæ: & si semel exierint, etiã valetudinis caussa,

nul-

nullam habeant ad ea reuertendi facultatem, nisi nouam licentiam à S. Congr. obtineant; quam petere debent, atq; exprimere, se aliàs educationis gratia in eodem alioue Monasterio extitisse. D.S Cong. 31. Aug.

203 Ijs vestibus in Monasterijs vtantur, quę Virginali pudori, ac modestiæ conueniāt; nigri scilicet, fusciuè coloris, vanoq; ornatu non vtantur, nec concinnatæ, purpurissatæ, & cerussatæ vllatenus incedant; neq; inaures, monilia, aut eius generis inanes delicias ferant.

204 Statim ac aliqua puella ex educandis Matrimonio fuerit collocata, ad parentes, seu propinquos absq; vlla mora remittatur: quod si graui ex caussa id fieri continuo non possit, Nobis renuncietur, vt commorandi licentiam protrahamus, quæ tamen mensem non excedet. Tantispèr autem dum in Monasterio cōmoratur, sponsum ne alloquatur, nisi præsente Abbatissa, vel aliqua Moniali è senioribus à Nobis designanda. Sed nec interim vllo modo permittatur, vt mulierculæ quædam Cinerariæ, seu Ciniflones intra claustra, vel etiam Monasterij foribus, earum vultus cerussa, & purpurisso inficiant, capil-

losq; calamistris crispent, aliterq; vllatenus adornent. D. S. Carg. 31. Aug.

Quoniã autem in libello ordinationum Monasticarum nonnulla tradidimus abhisce puellis obseruanda, ea hac præsenti constitutione ab illis inuiolabiliter custodiri præcipimus, ac mandamus.

CAP. IX.

De Sodalitatibus, & Confraternitatibus.

205 SOdalitates, & Confraternitates, quæ in nostra Diœcesi institutæ reperiũtur; aut in posterum instituentur, vt in laudabili instituto, inceptisq; pietatis officijs perseuerent, à Nobis, vel à personis per Nos deputandis singulis annis visitari debere sancimus. *Trid. sess. 22 c. 8.*

206 Quò autem Christi Patrimonium apud laicos fidelius administretur, pro Pastoralis officij studio hoc Synodali decreto præcipimus, ac mandamus, vt deinceps bonorum omnium cuiuscumq; sodalitatis, aut Confraternitatis administratio nõ aliter fiat, quàm cum interuentu, ac consensu

ſu perſonæ Eccleſiaſticæ à Nobis earum vnicuiq; deputandæ, cui Deputati nomen indicimus.

207 Quæ verò à Prædeceſſoribus noſtris pro recto illarum regimine ſanctiſſimè præſcripta ſunt, hac Synodali conſtitutione approbamus, atq; innouamus, & exactiſſimè obſeruari præcipimus.

208 Nullæ igitur in futurum Sodalitates, aut Confraternitates inſtituantur, aut erigantur, ſine noſtra facultate litteris exarata, alioquin inſtitutiones ipſas nullas eſſe declaramus, earumq; Auctores pœna arbitrio noſtro infligenda punientur. Quod ſi inſtitutæ, ac erectæ ſint, nihil circa conſtitutiones, vel conſuetum habitum immutent.

209 Quod ſi aliquæ in Vrbe, vel Diœceſi nullas habeant Conſtitutiones, & Formulas viuendi, teneantur infra quatuor menſes iam nunc à præſenti die numerandos, illas condere; & Vic. Gen. præſentare, & confirmationem obtinere, ſub pœna Interdicti, alijſq; arbitratu noſtro inferendis: quod Vicarijs Foraneis maximè inculcamus, vt obſeruandum curent.

210 Præſcribantur dies certi, quibus ritè

confeſſi Euchariſtiam ſumant. Rectores non minus tribus eligantur; nec ab alijs, quam ab ipſis Sodalibus dato mane illius diei per Campanam ſigno: electiones verò fient iuxta formam in proprijs cuiuſq; Sodalitijs, aut Confraternitatis Conſtitutionibus præſcriptam.

211 Adminiſtratores, Rectores, alijq; quocumq; nomine nuncupentur, denuò electi infra dies quindecim prędeceſſorum computa inſimul cum Deputato prædicto recipiant: quos autem depræhenderint Sodalitatis, ſeu Confraternitatis bona iniquè diſtribuiſſe; vel in ſuum commodum conuertiſſe, vel inutilibus, & ſuperuacaneis ſumptibus profudiſſe, eos ad Nos deferant, vt ad reſtitutionem legitimè compellantur, & pro delicti grauitate in eos animaduertatur.

212 Geſtæ adminiſtrationis rationibus redditis, iuxtà præſcriptam Tridentini formam, nè Rectores liberationem faciant, niſi Nobis ſcientibus, & conſentientibus, vel eo, cui id curæ demandabimus: aliter factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minimè ſuffragentur.

213 Non eligantur in Rectores, aut Theſaura-

ſaurarios Sodales, aut Confratres, qui pecuniam ipſi Confraternitati, aut Sodalitio, quouis modo debeant; nec qui Eccleſiæ bona conduxerint, aut locauerint; nec qui primo, aut ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu inter ſe, aut cum immediatis prædeceſſoribus ſint coniuncti.

214 Cauendum eſt etiam, ne Rectores, & quouis titulo Superiores, & Theſaurarij in ſuſcepto munere confirmentur: nec diutius, quam per annum in curatione ſibi permiſſa perſeuerent.

215 Qui ſemel Rector fuerit, non ante iterum eligatur Rector, aut Theſaurarius, quam per biennium vacauerit: eodemque pacto Theſaurarius in Rectorem nonniſi poſt biennium depoſiti officij eligi poſſit: Cæteri verò officiales ſatis erit, ſi per annum vacent.

216 Poſt Rectorum electionem, Theſaurarius quam primum eligatur, qui non ſolum ſit idoneus ad conſeruandum Eccleſiæ Patrimonium, ſed qui etiam, ſi commode poteſt, legere ſciat, ac ſcribere, & codicem habeat, & diaria, in quibus annotet ſingulas expenſas, cùm rationibus dati, & accepti: vbi verò id commodũ erit

Detentor librorum iusto Confraternitatis stipendio assumatur.
217 Pecunias, quæ ex Sodalium eleemosynis, ac taxationibus, aut ex annuis redditibus, & quibuscumque alijs prouentibus obueniunt, ne apud se Thesaurarius vllo modo retineat, sed apud Tabulam Confraternitatis nomine, non autem proprio reponat: nec inde extrahantur, nisi ad syngraphas Rectorum, ac præfati Deputati subscriptionibus obsignatas: Et quidē Deputatus primo loco semper subscribat.
218 Quæ verò ex certis legatis, & pia fidelium dispositione persoluuntur, apud eamdem Vrbis Tabulam reponantur, nec vllo vsui applicentur, sed legatarijs ipsis asseruentur. Expensiones aliter factæ à Thesaurario legatorum repetentur.
219 Rectores autem statim ac electi fuerint, sua nomina, qui in Vrbe infra octo dies, qui verò in Diœcesi infra quindecim, apud acta Mag. Notarij renuncient: secus ab officij administratione suspēsos se intelligāt.
220 In singulis Sodalitijs, & Confraternitatibus Vrbanis, & Diœcesanis, eligantur in posterum duo Thesaurarij, vnus qui bona Ecclesiæ Patrimonialia, redditus,

eleemosynas, cæterosq; prouentus exigat, & apud Vrbis tabulam reponat: Alter, qui pecunias in Matrimonia puellarum, vel missarum celebrationem legatas, diligenter curet: quas quidem in alium vsum conuerti minime patietur, nec in alios Ecclesiæ sumptus etiam necessarios, commodabit, sed integras, paratasq; si quidem in Vrbe fuerit, apud publicam Vrbis Tabulam seruabit, earumq; diuisam rationem habebit, quam vulgo vocant, Conto à parte, in Diœcesi autem apud se retinebit, præstita tamen idonea cautione. Porrò Codicem apud se habebit, in quo ex integro transcribet actus electionis puellarum nubilium, & pecuniarum solutionem, siuè fiat per apodixam in Vrbe, Deputati, ac Rectorum subscriptionibus obsignatam, siuè per actum Notarij in Diœcesi. Et quidem Rectores, & Thesaurarij, qui contraire præsumpserint, officio amoueantur, & carcere, ac duplicata pecuniæ summa mulctentur.

221 Vt autem Ecclesiasticorum bonorum conseruationi consulatur, dolisq; & fraudibus aditus præcludatur; decernimus, nè in posterum Rectores Ecclesiastica bona

lo-

locent, permutent, aut quouis modo alienent, nisi authoritas nostra, aut Superioris per Nos specialiter designandi accesserit, alioqui omnes contractus irritos, & nullos esse volumus, & eos ad quos per tales contractus bona deuenerint, iam nunc illegitima possessione amouemus, & alienationis Auctores præter pœnas à iure inflictas, quas rei grauitas postulauerit, addicimus.

222 Piorum locorum bona publicè locanda proponantur, facta omnibus conducendi potestate: idq; cautè fiat, adhibito, si opus erit, idoneo fideiussore. Si quis autem ex Rectoribus per se, vel interpositam personam ea quouis nomine conduxerit, ab administrationis munere arceatur, nec dignus in posterum censeatur, cui talium rerum administratio demandetur.

223 Non liceat fabricas Ecclesiarum, aliasq; de nouo inchoare, nec inceptas prosequi, nisi prius coram nobis, nostroue Vic. Gen. facultates nostrorum Prædecessorum, vel nostram, earumq; formam, seu modellum, & quæ pecuniarum summa sit necessaria, & vnde desumenda quam primum ostendant; Nec expensas vllas extra ordinem in

quem-

quemuis vſum facere, vel pretioſa mobilia vendere, aut permutare Nobis inconſultis: habita verò à Nobis venia, non niſi cum interuentu, & conſenſu prædicti Deputati hęc omnia exequantur: aliter pœnas arbitrio noſtro perſoluent.

224 Nè autem res Eccleſiarum deſtitutæ defenſoribus pereant, hoc Synodali decreto indicimus omnibus, & ſingulis Sodalitatum, Confraternitatum, & aliorum locorum piorum Gubernatoribus, Rectoribus, Superioribus, & quouis alio nomine nuncupentur, vt infra ſex menſes à publicatione præſentis Synodi conficiant inuentarium, eumq; indicem ritè, & fideliter confectum omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, cenſuum, ſiuè redditũ, nominumq; debitorum, & aliorum quorumcumq; ad Eccleſias eorum adminiſtrationi commiſſas, quocumq; iure pertinentium: codicem prætereà omnium ſcripturarum, actorum, & contractuum, eaq; omnia exhibeant noſtro Mag. Notario duplici exemplo, quorum alterum relinquent illi, alterum apud ſe retineant; vt ſcilicet facilè in poſterum deprehendi poſ-

ſit, quid damni Eccleſia ex cuiuſq; adminiſtratione patiatur, atq; vt par eſt, in integrum reſtituatur. Quæcumque autem bonorum acceſſio, vel immutatio deinceps fiet, in vtrumq; inuentariũ referatur.

225 Habeat vnaquæq; Sodalitas, & Confraternitas certum librum, in quo præter nomen, quo quiſq; die, menſe, & anno fuerit in ſodalitium, ac Confraternitatem coaptatus, fideliter notetur: Index etiam erit comparandus, quem Rollum vocant: hic profectò tuto loco, atq;obſerato conſeruandus eſt, cuius quidem ſinguli Rectores, & Deputatus ſingulas habeant claues, eaſque inter ſe diuerſas, quas tamen apud ſe retineant, nè vlli vmquam credãt.

226 In hunc Indicem nemo in poſterum inſeratur ſine Rectorum conſenſu, & idoneis præſentium Sodalium ſuffragijs: idonea autem vocamus ea, quæ à maiori parte lata fuerint: id tamen edicimus, vt hæc omnia publici Notarij actibus excipiantur, quorum exemplar eius manu obſignatum apud Rectores in perpetuum adſeruetur; & in Rollum, præter notam diei, menſis, anni, &c. ipſius etiam Notarij nomen referatur. Qui alio ritu admittetur,

is nec in Sodalium, & Confratrum numero habeatur, nec Sodalitatis, & Confraternitatis beneficio, aut priuilegijs fruatur: Rectores verò, qui in id consenserint, ab officio remoueantur. Inuigilent autem Rectores atq; id summopere curent, ne admittantur facinorosi homines, turpis vitæ, aut infamiæ labe notati, ne qui alteri Sodalitati, vel Confraternitati nomen dederint, nec qui ab ipsamet Sodalitate, vel à quacumq; alia societate, vel Confraternitate sponte desciuerit, vel dimissus abscesserit, nisi aliud Nobis videatur. Id autem indulgendum videtur, vt qui ab aliqua Sodalitate dimissus fuerit, iterum admitti in eamdem Sodalitatem possit, si tamen, seriò resipuerit: id verò ne fiat sine nostra facultate, qui rogati id tandem de tota re deliberabimus, quod optimum factu in Domino iudicabimus.

227 Sodalitates, & Confraternitates externæ cum Vrbanis Societatis communione coniunctæ, ius habeant suos etiam socios nostratibus aggregandi; ipsi verò Sodales, & Confratres cum in Vrbem venerint, in alias Sodalitates, & Confraternitates ne abeant, sed in eam se recipiant, quæ cum

ſua fuerit aggregationis iure coniuncta.

228 In dimittendis verò Sodalibus,&Confratribus id ſane curandum eſt, nè fiat ex odio, aut aliquo partium ſtudio, ſed habenda eſt ratio cauſſarum, quæ expreſſæ ſunt in conſtitutionibus ſingularum Sodalitatum, & Confraternitatum. Cauendum tamen maximè eſt, ne quempiam vllo vmquam caſu dimittant,niſi cauſſam Nobis expreſſerint,aut noſtro Vic.Gen.ab eoq; facultatem prius ſcriptam obtinuerint. Quod item procedit in Cappellano, detentore librornm, ſacriſta, litium procuratore, & ſollicitatore, exactore,cæteriſque officialibus. Quibus conſtitutum quidem ſtipendium augeri, vel minui abſque noſtro ſpeciali mandato nulla ex parte volumus.

229 Conueniant Sodales, & Confratres in Oratorium, ſeu Eccleſiam ſtatutis diebus, ex forma Conſtitutionum præſcriptis,idq; matutinis horis,aut etiam promeridianis, numquam verò nocturnis, niſi in Sacratiſſima nocte NatiuitatisD.N.Ieſu Chriſti, & ea nocte hebdomadæ maioris, quæ ad Litanias, & ſupplicationes de more peragendas deſtinata eſt. Ad publicas, & ſolemnes

lemnes processiones euocati accedant, easque ritè, atq; ordinatè obeant sacco, integroq; habitu Sodalitatis, seu Confraternitatis induti; nec ad eas quempiam admittant, qui tres ante menses in Sodalium, ac Confratruum numerum ascitus non fuerit. In Oratorijs verò pia aliqua lectione, & spirituali exercitatione se reficiant, Sacrosancto Missæ sacrificio religiosè intersint, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiant. Non liceat tamen in Dominica Palmarum ramos in suis Oratorijs benedicere, aut ibi benedicto cinere initio Sanctæ Quadragesimæ aspergi, sed hæc in suis Parochijs vnusquisq; religiose obeat. Atq; intelligant se Ecclesiastico præcepto dè sumenda Paschatis tempore SS. Eucharistia non satisfacturos si id in proprijs Oratorijs præstiterint.

230 Sacerdos in Cappellanum ab aliqua Sodalitate, seu Confraternitate electus facultatem obtineat sacras Confessiones audiendi, antequam prædictum officium exerceat; quod si prædictam facultatem intra mensem non obtinuerit, liberum sit Sodalibus Sacerdotem alium in Cappella-

num eligere, obtenta tamen prius à Nobis licentia, ſeu noſtro Vicar. Gener. Quod ſi quis ex iam electis Cappellani officium exercuerit, prædictam facultatem intra eumdem terminum obtineat ſub eadem pœna.

231 Tractatus de ſuis Eccleſijs, aut Oratorijs, ſeu alijs quibuſcumq; in poſterum Regularibus concedendis, nec ipſi inſtituant, nec ab alijs oblatos excipiant ſine expreſſo noſtro conſenſu; alioquin præter officij priuationem, noſtro arbitratu ſeuerè punientur.

232 Habeant autem ſingula Sodalitia, & Confraternitates proprias conſtitutiones, ſeu capitula, & iuxta eorum præſcriptam formam dirigantur, quæ tamen nullam obligationẽ inducẽt, niſi prius fuerint per Nos, aut noſtrum Vic. Gen. recognita, & approbata. In poſterum verò ſi quid addendum, delendum, aut immutandum ex occaſione fuerit, caueant ne id fiat ſine noſtro conſenſu per acta Curiæ Archiepiſcopalis expreſſo; quapropter præcipimus Vicarijs Foraneis, vt infra menſes quatuor à die celebrationis huius Synodi, curent, vt ſingula Sodalitia, & Confraternitates

Diœ-

Diœcesis præsentent in actis M.C.Archiepiscopalis proprias Constitutiones, & Capitula adhoc vt per Vic. Gener. recognoscantur.

233 Orationes Quadraginta horarum peragent iuxta formam ea de re traditam, nec vllo tempore quempiam Sacerdotem regularem, seu sæcularem in conciones admittent, nisi prius exhibuerit concionandi facultatem in M. C. Archiepiscopali de more expeditam, solitoq; sigillo, & subscriptione munitam.

234 Per singula Diœcesis loca Sodalitiorũ, & Confraternitatum expensę per tres idoneos,& solertes viros à Nobis singulis annis eligendos examinentur, ad quod munus Vicarius loci, Archipresbyter,& alius per Nos nominandus assumi poterunt, qui re studiosius perquisita testes sint rectę administrationis, ac dispensationis, & id testimonium ritè confectum quotannis ad Nos deferant.

235 Ad tollendos abusus, qui dudum ad aures nostras peruenerunt, prohibemus Cappellanis, & Rectoribus Sodalitiorum, & Confraternitatum, nè de cætero in ipsorum Oratorijs, Ecclesijs, Sacristijs, nec

ipsis etiam Cappellani ædibus admittantur ludi, & conuentus illiciti; id si contigerit, Cappellanus Nobis renunciet: secus pœnam incurret suspensionis ipso facto: Rectores ad idem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ teneantur.

236 Cæterum, vt prædicta omnia facilius executioni mandentur, & prædictarum Sodalitatum, & Confraternitatum bono, & vtilitati melius consulatur, earum Rectoribus, & Superioribus districtè præcipimus, vt in processionibus, festiuitatibus, cæterisq; rebus expensas faciant moderate, easq; prius taxandas curent in Vrbe à prædicto Deputato, in Diœcesi ab eodem Deputato, ac præterea à Vicario Foraneo, & Archipresbytero: quam taxationem si excesserint, de proprio irremissibiliter persoluent: Vicarius autem, Archipresbyter, & Deputatus nisi in casu transgressionis Nos certiores fecerint, ipsi ad expensas huiusmodi tenebuntur.

237 Pari etiam ratione curent supradicti Rectores, Superioresque vt Codicem habeant paratum, in quem referant Constitutiones, & Edicta ad ipsos pertinentia, quæ in dies in Vrbe promulgantur. Ad manus

item

item habeant Synodum hanc Diœceſanã, & ſi opus fuerit, in vulgarem linguam cõuerti curabunt, quæ ad ſe ſpectant, ne vllo vmquam caſu vllá ignorationis cauſſam obtendere poſſint.

CAP. X.

De Legatis Piis.

238 SAcroſancta Tridentina Synodus Sacrorum Canonum veſtigijs inhærẽdo, Epiſcopos etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatos omnium piarum diſpoſitionum, tam in vltima voluntate, quàm inter viuos, executores ſanctiſſimè conſtituit eiſq; ius tribuit viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laicorum, ſiuè quocumq; alio nomine vocentur (ijs tantum exceptis, quæ ſub immediata Regum protectione reperiuntur) eleemoſynas Montis Pietatis, ſiuè Charitatis, & pia loca omnia quomodocumq; nuncupentur, etiam si illorum cura ad laicos pertineát, atq; eadem pia loca exéptionis priuilegio sint munita: ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutẽ, ſeu

ſeſſ. 22 c. 8. cap. nos c. si hæredes ca. tua nobisc. Ioannes de teſtament.

ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſos Epiſcopos ex officio ſuo iuxta eorũdem Sacrorum Canonum ſtatuta cognoſcere, & exequi præcipit non obſtantibus quacumq; conſuetudine etiam immemorabili, priuilegio, aut ſtatuto.

c. quia contingit de relig. domib.

239 Cum igitur in omnibus pijs voluntatibus ſit per Nos prouidendum, vt ſecundum piè diſponentium voluntatem vniuerſa procedant, licet etiam forte à teſtatoribus id contigeret interdici, vt Sacro Canone cautum eſt; mandamus, quatenus executores teſtamẽtorum huiuſmodi, aliarumq; piarum diſpoſitionum, nec non, & alij quicumq; Rectores, Gubernatores prædictorum locorum, & operum quocumq; nomine appellentur, bona ipſa fideliter, & plenariè in vſus præſcriptos expendant.

240 Quoniam autem à nonnullis Eccleſiarum Rectoribus; & fideicommiſſarijs dies, qui puellis eligendis à teſtatore fuit deſtinatus perperam protrahitur, interdum etiam anteuertitur non ſine graui conſanguinearum, earumq;, quarum intereſt; offenſione; mandamus omnibus, & ſingulis teſtamentorum executoribus, vt electiones huiuſmodi faciant eo ipſo die, qui

ex

ex defuncti voluntate fuerat constitutus: alioquin electio ad Nos ipso iure deuoluatur; & ipsi executores eam pecuniæ summam, quæ in dotem fuerit constituta puellis, de proprio soluent.

241 Quò circa Ecclesiarum Rectoribus districtè præcipimus, vt librum habeant, in quo cùm omnia, & singula annua legata, tùm onera illis adiuncta ordine, dilucidè, atq; enucleatè præscripta sint.

242 Notarijs verò pœnam excommunicationis indicimus, nisi in singulis testamẽtis, codicillis, alijsuè tabulis, eas particulas intra tres menses Nobis deferant, propria ipsorum manu signatas, in quibus aliquid in caussas pias, vel in rei malè partæ, seu ablatæ, aut furti satisfactionem quomodocumque legatur.

243 Quamobrem quæcumq; res, vel pecunia cuipiam legata est, ea nè in totum, vel ex parte ad alios vsus conuertatur, Rectoribus quibuscumq; in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus: alioquin de proprio soluent. Bona verò certo vsui, vel puellis in matrimonium collocandis relicta, nec necessitatis quidem caussa in aliud erogẽt, nisi Nos, re primum cognita, illius com-

 mu-

mutationis potestatem fecerimus, & fecus facientes proprijs pecunijs damnum reficient.

244 Quoniam verò sæpe contingit falsis testibus probari consanguinitatem pro cōsequendis huiusmodi legatis; huic malo, quod frequentissimum est, occurrere volentes, statuimus, vt in posterum nonnisi scripturis authenticis consanguinitas ostēdatur: quod si casus acciderit, quo necessarium omnino videatur, vt per testes hęc probatio fiat, id nullatenus, nisi prahabita à Nobis venia, permittatur.

CAP. XI.

De Prauis Consuetudinibus ab Ecclesia præsertim amouendis.

245 DEdecet profectò plurimum, atque adeo impium videtur, Dei Ecclesiam, quæ Domus Domini, Orationis, & Sanctitudinis vocatur, profanis impurorum hominum commercijs violari, & quodammodo fieri domum negotiationis, & speluncam latronum. Curent igitur summopere Ecclesiarum Præpositi, &

Rectores omnes, quocumq; nomine nuncupentur, ne id vllo modo patiantur: idq; tum quouis tempore, tum præsertim cum diuina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur, ne quis deambulet, circulos habeat, vana colloquia misceat, negotijs operam det. Neminem sinant Altaribus, fontibusq; vel sacri Baptismi, vel aquæ benedictæ innixum adhærere, irreuerenter sedere, stare, aut cubare; nec mendicos, aut eorum nomine quempiam alium Eleemosynæ nomine per Ecclesiam vagari, nec aliquem ante fores, vel ipso in limine diutius immorari: nec cum venaticis canibus, vel volucribus, aut cum hasta, sclopetis, & id genus rebus alijs, ingredi, & quod summæ irreuerentiæ est, in sella gestatoria tempore Missarum, concionum, & diuinorum officiorum, & præsertim exposita Sacratissima Hostia permanere. *c.6 de Immun. Eccl. c.2. eod. in 6*

246 §. Cauendum etiam est, ne in Ecclesia litterarum, grammaticæ, vel musicæ rudimenta tradantur, vel generatim aliquid aliud, præter doctrinam Christianam pueri edoceantur: laicorum pernoctationes, aut nocturnas vigilias non permittant, sed

dato ſalutationis Angelicæ ſigno fores claudantur, idq; ſi ſit Eccleſia Parochialis; nam cæteræ, quæcumq; tandem illæ ſint, eo ſolum tempore, quo diuina myſteria peraguntur, aperto oſtio eſſe debent. Nullam autem Eccleſiam vllo vmquam tempore apertam eſſe ſinant, quin adsit cuſtos aliquis Clericus, qui prohibeat agi, quæ illo loco ſunt indigna.

247 Verbum Dei viri, ac mulieres permixtim non audiant, ſed alteri ab alteris, vel tela, vel tabulato interiecto pro perſonarum conditione ſeparentur, vt alibi quoque ſancitum eſt.

240 Vt omnis ſceleſtorum hominum fraudibus, ac nefarijs machinationibus aditus præcludatur, nulla in Eccleſia, vel Oratorio, vel ædibus ſæcularium, ſiue Regulariũ poſt Angelicæ ſalutationis ſignum cœtus amplius habeantur Congregationum, diſciplinarum, aut ſpiritualis cuiuſcumque exercitationis nomine, quod & alibi cõſtitutum eſt. Imo quo die feſtum aliqua in Eccleſia ſolẽniter celebratur, fores ad primã noctis horam ad ſummum claudãtur.

Foribus, & valuis Eccleſiarum nullę affigantur ſchedulæ, quibus ędium, vel agro-

rum

tum locatio, aut venditio proponatur.

249 In atrio verò, seu cæmeterio nemini fabricandi potestas concedatur: à templi vestibulo lusores alearum arceantur, cæteriq; omnes ludi, rumores, rixæ, simultates, colloquia, festiua, & iocosa tripudia, luctus, & vlulatus abigantur; nec non res omnes venales, & mensæ rerum comestibilium, quas quinquaginta saltem palmos ab Ecclesiæ ostio semotas volumus. Meretrices autem ne iuxta Ecclesiam habitent, sed earum ædes passus quinquaginta, vt minimum, à sacris ædibus seiungantur.

250 Sedulò etiam curent, nè officinæ, tabernæ parietibus adstruantur, nè frumentum in cæmeterio ventiletur, ne fruges exponantur, nè panni, aut linea Soli expandantur, ne quid fabrile, aut aliud simile fiat, nisi id Ecclesiæ vsus exigeret, aut alibi commodè effici non possit: nè demum quidquã aliud, quòd à domo Dei sit alienũ

251 Mulieres in Ecclesijs ne habitent, aut earum custodes sint, nec Ecclesiarum claues apud illas vlla ratione, nec sub quouis prætextu asseruentur.

252 Qui in horum aliquo deliquerit, à Rectore per se, vel per alium moneatur; nisi

parue-

paruerit, ab Ecclesia expellatur, alioquin ad Nos deferatur, qui pro rerum, & persona-rum varietate, in eum nostro arbitratu animaduertemus.

253 Indemnitati pauperum puellarum, quantum in Domino possumus, consulentes, decernimus, ne vicatim eleemosynam quærítent, quæ octauum annum excesserint: neq; vlla mulier noctu, etiam ad primam noctem, per vicos, & plateas stipem emendicet.

254 Tempore Quadragesimæ, vigiliarum, & quatuor temporum, nemo vendat, aut emat cibos vetitos, nec per se, vel per aliũ, nisi illis, qui aduersa valetudine laborant; at ne tum quidem nisi obtenta facultate à Vicarijs nostris Generali in Vrbe, Foraneis in Diœcesi scripta gratis, & fide Doctoris Medici, vt supra quoq; sanciuimus.

C A P. X I I.

De Funeribus, & Exequiis.

255 Ritus cadauerum cum splendore, & pompa humandorum à priscis etiã Ethnicis, præsertim verò Romanis legis-

lato-

latoribus institutus, & omni legum, pœnarumq; seueritate indictus, atq; etiam in veteri lege Mosaica cautis superstitionibus seruatus, ab Ecclesia Christi Catholica omni religione susceptus est; vt cadauera piè, & decenter efferrentur procedente Clero, & psalmos, hymnosq; concinente non solum ad animę suffragium, sed etiam ad grates Deo agendas, quod eam huius vitæ militia defunctam coronarit; prælucentibus etiã facibus, quæ Christum veram lucem signarent: in feretro, quod spem resurgendi præmonstraret: æris etiã campani signo dato, non ad conuocãdum duntaxat populum, vt funus comitaretur, sed ad excitandam etiam mortis memoriam; & aliorum pietatem, vt precibus mortuo suffragarentur. Propterea vsum, seu corruptelam; quæ recentibus annis iã irrepsisse videmus, vt cadauera in rhedis à nullo facum, alioue pompæ splendore; nullis pijs precibus, nullis cæremonijs, ac ritibus adhibitis penitus abhorremus, ac proinde omnino damnamus, & seuerè præcimus; ne quis in posterum audeat tam indecorè, & contra tam vniuersæ receptum Ecclesiæ morem, sacrumq; Ritum, quem

antiquissimum appellauit Rituale Romanum Sum. Pontif. Pauli V. & Vrbani VIII. auctoritate editum, eo, quem prædiximus, modo, brutorum instar cadauera deportare, sub pœnis in Edicto hac de re à Nobis promulgato nostri Regiminis ferè initio contentis. Cuius dispositionem hoc præsenti decreto approbamus, & innouamus.

256 Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis, seu peccatorum pœnis soluantur. Archiepiscopi igitur morte renunciata, à singulis Sacerdotibus, tum in Vrbe, tum in Diœcesi Missa pro eius anima quam primum celebretur.

257 Quoad Parochos pertinet, curam omnem adhibeant, nè quid vllo modo faciãt, aut fieri permittant contra præscriptam formam in Bulla reformationis Parochiarum.

258 Cæterum, & ante Solis ortum, & post eius occasum mortuum efferri districtè prohibemus; nec inter Missæ maioris, & diuinorum officiorum celebrationem fidelium cadauera in Ecclesiam inferantur. Parochorum autem curæ relinquimus, ne

nimis

nimis præpropere mortui ſepeliantur, vt ſi ipsis videbitur, humatio in opportuniorem horam quandoq; differatur. Cadauer laici cuiuſuis gradus, & dignitatis Clerici nè deferant, ſed laici.

259 Quę autem à Felicis recordationis Paulo V. in Rituali Romano circa mortuos ſepeliendos, & exequias peragendas, tam adultorum, quam paruulorum præcipiuntur, omnia, & ſingula à quibuſcumq; obſeruari volumus, idq; præſenti Constitutione mandamus: videndum nempè erit, quibus Eccleſiaſtica ſepultura deneganda ſit, & vbi dubium occurrerit, Nos conſulent.

260 Vſurario manifeſto, quamuis de vſuris quas receperat, ſatisfieri, expreſſa quantitate vel indiſtinctè mandauerit, nihilominus Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, donec de vſuris ipſius fuerit plenariè ſatisfactum, vel illis ipſis, quibus facienda eſt reſtitutio, vel eis abſentibus, Nobis in Vrbe, Vicario Foraneo in Diœceſi, præſtita nimirum idonea cautione, de reſtitutione facienda.

261 Pauperes, qui proprijs impenſis humari non poſſunt, fidelium eleemoſynis ſe-

peliendos Parochi curent.

262 Cum mortuus efferendus erit, Clerus, qui vocatus fuerit, in proximam mortui ædibus Ecclesiam, aut domum conueniet, vnde Clerici superpelliceis induti, procedant bini, & cum psalmodia ad sepulturam mortuum comitentur.


263 Piorum hominum Congregationes, qui cereos manu gestantes funus comitantur, cadauer non præcedant, sed subsequantur, gestentq; paruas candelas, non intorticia.

264 In prosequendis funeribus, Regulares eumdem, quem in generalibus Processionibus, locum sequantur: Parochiæ Crux digniorem locum obtineat; nisi adsit Cathedralis. Nihil superstitiosum in manibus, vel mortui feretro admittatur. Cum verò in funere cerei, candelæ, intorticiaque pro Regularibus, ac Clero dantur, non extincta, sed accensa deferantur.


265 Caueant lamentatrices, quæ ad deplorandos mortuos euocari alicubi nondum desueuerunt, ne id officij in posterum exerceant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; & quoad ignobiles etiam fustigationis per Vrbem.

Alta-

266 Altaria pro funeribus defunctorum in ipsorum cubiculis, aut domibus erigi, ac ornari tamquam à sacræ aræ institutione, vsuque aliena, sub eadem excommunicatione prohibemus.











PARS QVINTA
DE
FORO IVDICIALI
CVRIÆ ARCHIEPISCOPALIS.



CAP. I.

De Curia regenda, Magistro Notario, Fisci Procuratoribus, Commissariis, Archiuario, & Ærariis.

1 PEr uetustam iudiciorum formam peculiari Siciliȩ ritu inductam, & à nostris Prædecessoribus receptam, quãtum fieri potest, retinendam esse çensemus; nem-

nēpe circa probatorias dilationes in cauſſis, tam Summarijs, quam Ordinarijs, in terminis præfigendis, cæteriſq; quæ accuſationum, ac defenſionum normam quoquomodo concernunt, nec non in ijs, quæ ad ordinatoria tantum pertinent, & hucuſq; in noſtra Curia ſunt recepta; non autem quoad deciſoria, & cauſſarum inſtantias; quas perpetuas eſſe, iuri Canonum inhærentes, hac Synodali Conſtitutione declaramus.

2 Vt igitur ab Archiepiſcopali foro quātum fieri poteſt auaritiç labes amoueatur, & quā minimis poteſt incommodis cauſſæ peragantur, eam mercedem pro ſingulis actis faciendis, annotandis, & conſcribendis, officialibus omnibus, & eorum cuilibet ſoluendam ſtatuimus, quam iuxta taxationem, ſeu pandectam per Nos edendam, præfiniemus; vltra quam nihil recipere liceat; vtq; tam ipſis Actuarijs, quantum petere debeant, quam partibus litigantibus quantum ſoluere teneantur, perpetuo innoteſcat; iubemus, vt prædictam taxationem vulgari ſermone impreſsā, & loco publico affixā; quò ab oībus inſpici, legi, & intelligi poſſit, Mag. Notatar. expōhar;

Cæte-

3 Cæterum curæ sit Vic. Gen. semel in hebdomada, cum ita oportere, aut expedire iudicabit, Assessorem, Fisci Patronum, ac Procuratores, Mag. Notarium, reliquosque officiales in Archiuium, vel alibi conuocare ad conscribēdas contumacias, terminos præfigendos, ac visitandos eos, qui carcere detinentur; custos verò carcerum eo tempore vinctos omnes, qui voluerint teneatur præsentare, vt omnium personarum iura illibata seruentur, & vnus quisq; coram, quæcumq; ad sui defensionem faciunt, liberius exponat. Adsit autem piarum caussarum Patronus, & Actuarij, qui de statu caussæ sibi commissæ plenè doceant. Porrò ex ijs, quæ inibi decreuerint, nihil executioni mandetur, Nobis inconsultis.

4 Curet Mag. Notarius, vt duplex habeatur index, in quorum vnum supplicationes referantur, quæ in caussis fiscalibus proponuntur, in altero decreta, & prouisiones omnes, tum in huiusmodi colloquijs, tum extra illa in informationibus factæ, statim annotentur.

5 Has omnes prouisiones, & decreta, Fisci Procuratores apud eos indices diligen-

ter

ter inſpiciant, eaſq; antequam ſubſequens cœtus habeatur, debitæ executioni mandent: circa quas Nobis inſcijs, nihil prorſus innouetur.

6 Nemo è carceribus emittatur, quin prius quæſtio, ſiue informationes contra eum habitæ in cauſſarum colloquijs examinentur.

7 Nè quis Commiſſarius cauſſam vllam aggrediatur, & informationes capiat niſi Fiſci Patrono, aut Aſſeſſore aſſiſtente, aut certè coram Vic. Gen. inchoatas informationes in iudicem referat; perfectas apud ſe per diem dumtaxat retineat; mox Archiuario eas tradat, qui ad Vicarium, aut Aſſeſſorem non per alium tranſmittet, ſed per illius cauſſæ Actuarium, à quo teſtimonium habeat ipſius ſcripto obſignatũ.

8 Si quis in flagranti crimine ſine officialium, ad quos ſpectat, mandato capiatur, id quam primum Nobis, & Vicario Generali renuncietur.

9 Non liceat Fiſci Patroni nomine informationes ad Aſſeſſorem tranſmitti, niſi facta per ipſummet Fiſci Patronũ miſſione.

10 Caueat Mag. Notarius, nè vllas in Regiſtro litteras tranſcribat, aut tranſcribi

per-

permittat, nisi Vic.Gen.vel Assessoris subscriptione munitas; nec litteræ monitoriales, citatoriæ, inhibitoriæ, & cuiusuis generis aliæ registrentur, quin prius sint debitis subscriptionibus obsignatæ, & dies etiam per Mag. Notarium sit annotata.

11 Decreta, & deliberationes in registrum adscribantur; nec executioni mandentur, quin registri testimonium in calce scriptum appareat.

12 Rerum criminalium acta, & scripturæ proprio in codice seorsim à ciuilibus scripta asseruentur; & eadem etiam ratione, vtrarumq; fideiussiones secernantur.

13 Fisci Procuratores processus omnes nó dum etiam Collectos Fisci Patrono denuncient, ac de ijs, quæ inibi continentur, certiorem faciant.

14 Contra delinquentes profugos, quos coercere nequeunt, exilium, seu pœnam banni publicari sedulo curent.

15 Codicibus baptizatorum,&coniugum, qui apud Parochos asseruantur, nihil addatur, aut immutetur, nisi vocatis vocandis, ac ijs,qui sua putauerint interesse,idq; scripto mandetur, non voce, nisi aliud Nobis videatur.

Scrip-

16 Scripturæ, ſeu vt vocant Incartamenta, quæ ad obtinendas Beneficiorum inſtitutiones fiunt, partibus minimè reſtituantur, ſed in Archiuio conſeruentur. Ex quo nullæ prorſus ſcripturæ extrahantur ſub pœna excommunicationis à S.D.N.Pio V. latæ.

17 Porrò nè ſcripturarum codices omnibus expoſiti perlegentium oculis pateant, nec cuilibet eos tranſcribendi detur facultas, aditus ad Actuariorum ſubſellia, cæteris omnibus, præter ipſos Archiuij officiales, penitus excludatur.

18 In cauſſis criminalibus habita per Fiſcum ſufficienti probatione, datoq; ad defenſiones termino duodecim dierum, nullo alio dato termino, ad vlteriora procedatur; niſi tamen Nos formam ritus obſeruari voluerimus.

19 Parati ſint in Archiuio Codices duodecim.

1 Habeat collationes Eccleſiaſticorum beneficiorum: ſiue per Nos, ſiue per Sedem Apoſtolicam factas. In eo etiam regiſtrentur Reſignationum Publicationes.

2 Ad Ordines promotos, ac titulum, quo-

quis ad Subdiaconatum aſſumitur.

3 Iura Patronatuum Eccleſiaſticorum.

4 Præſentationes, & inſtitutiones beneficiorum de Iurepatronatus laicorum: in quo etiam regiſtrentur litteræ Regiæ, earumq; executoriæ, præſentationum à Rege, ac Domino noſtro factarum.

5 Litteras S. Congregationis Cardinalium, tum eorum, qui Regularium negotijs ſunt præpoſiti, tum etiam Sacri Conc. Trident. interpretum; & aliarum quarumcumque.

6 Excommunicationes, ſuſpenſiones, interdicta, & abſolutiones.

7 Sententias diffinitiuas rerum ſpiritualium ad cultum diuinum, ac curam animarum pertinentium.

8 Cauſſas Matrimoniales.

9 Facultates excipiendi confeſſiones.

10 Eorum indicem, qui fidei profeſſionem emiſerunt.

11 Diplomata, & reſcripta Summorum Pontificum, & proceſſus fulminatos per Apoſtolicos Delegatos tum in cauſſis beneficiorum, tum alienationum rerum Eccleſiaſticarum.

12 Pia legata.

Actuarij

20 Actuarij acta à se confecta omnia, & singula singulis diebus in registrum referant, & in alphabetum redigant, neq; id vltra XXIV. horas differant.

21 Circa Iudicum, & Assessorum recusationes, & suspiciones statuimus, vt in illis iuxta Sacrorum Canonum sanctiones in nostra Curia procedatur.

Quoad verò ad Assessorem huiuscè nostræ Curiæ Ordinarium recusandum forma Regiæ Pragmaticæ obseruetur.

22 Vt nostra Curia recte regi possit, seruitium auxilio indiget, quos Ærarios nuncupamus. Hi eidem curiæ assistant: quotidiè vnusquisq; die suo, prout moris est, resideat, vel apud nostrum Palatium Archiepiscopale, ad quod festis diebus omnes concurrant, vel apud Vic. Gener., vel Assessorem, vel Fisci Patronum: Processionibus omnes deseruiant: Curent diligenter vt dies festi obseruentur, & contrafacientes denuncient, vt pœnis per Nos impositis puniantur. Caueant ne aliquem occultè componant, nec quidpiam loco pœnæ ante illius condemnationem recipiant sub pœna priuationis officij, alijsque arbitrio nostro inferendis. Neminem

propria auctoritate in carcerem conij-ciant.

CAP. II.

De Concubinariis, et Adulteris.

Sess.24.c.8. 23 SAcrosancta Tridetina Synodus rectissimè docuit graue peccatum esse, homines solutos habere concubinas; grauissimum verò, & in Matrimonij Sacramenti singularem contẽptum admissum, vxoratos quoq; in hoc damnationis statu viuere, & audere eas quandoq; domi etiam cum vxoribus alere, ac retinere: cuiusmodi perditi homines, vt Salomon aiebat *Prouerb.6*, propter cordis inopiam perdunt animam suam, & ignominiam, ac turpitudinem congregant sibi, illorumq; opprobium minimè delebitur: hinc olim apud Hæbreos Adulteri lapidibus obruebantur *Leuit. 20. et Ioann.8*: quin & Gentes fidei lumine destitutæ, vel morte, vel oculorum priuatione, alijsuè supplicijs in adulteros animaduertebant: patribusq; occidendi filias in adulterio deprãhensas facultatem impertiuere *l.nec ea ff. ad l.Iul. de Adult.*

24 Quamobrem huic tanto malo opportunis

tunis remedijs prouidere volentes, pœnas iure Canonico contra adulteros statutas renouamus, & hac Synodali Constitutione statuimus, ac mandamus, vt nemini cuiuscumq; status, dignitatis, & conditionis fuerit, nullo obtētu, nec vllo vmquam tempore liceat in propria, vel aliena domo concubinas alere, aut retinere: qui secus fecerint, si Adulteri sint, annuo carcere, & vncijs 25. si soluti bimestri carcere, & vncijs 15. plectentur.

Mulieres verò, & Concubinæ ipsæ sceleris pœnas fustigatione, & vnciarum 15. solutione luant.

25 Quod si contigerit huiusmodi homines excommunicatione feriendos esse, id vtiq; fiet iuxta formam à S. Trident. Synodo præfinitam: Ea verò statuit Concubinarios, tā solutos quā vxoratos, si postquā Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, ab eaq; non absoluendos, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint: quod si in Cōcubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint; contra eos ab Ordinario se- *Sess. 24. c. 8. de ref. mat.*

uerè

uerè pro qualitate criminis esse procedendum. Mulieres siue coniugatás, siue solutas, quæ cum adulteris, seu Concubinarijs publicè viuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab eodem Ordinario etiam ex officio grauiter pro modo culpę puniendas; & extra oppidum, vel Diœcesim, si ei videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio sæculari, esse eijciendas: alijs pœnis contra Adulteros, & Concubinarios inflictis in suo robore permanentibus. Quam quidem Constitutionem seruari distinctè pręcipimus, adhibitis tamen S. Congregationis declarationibus, quibus sæpissimè declaratum est trinam monitionẽ tantummodo requiri, quando huiuscemodi perditi homines excommunicationi erunt subijciendi; non verò cum pœnis pecuniarijs, alijsq; vel à iure communi, vel statutis Synodalibus contra eos inflictis plectendi sunt; ac præsertim eam seruandam decernimus, quæ pro hac nostra Curia Panormitana edita an. 1583. declarauit Archiepiscopum Panormitanum posse iure procedere contra concubinarios adulteros, & incestuosos pœnis pecuniarijs, pijs operibus applicandis ex antiqua consuetudine,

Hæc decla. est in regis. an. 1583. et 1584. Ind. 12. fo. 616 et exequt. in reg. 2. Maii 12. Indict. 1584. non obstant. lapsu ann.

ex Edicto legi solito in primò die Quadragesimæ, non obstante S. Conc. Trid. dispositione; secus quoad excommunicationẽ: sed quoniam in hac Synodo paulo ante omnes monuimus, atq; iterum monemus, nè in hoc miserrimo statu Concubinatus permaneant; præsenti decretò declaramus, & quatenus opus est, de nouo statuimus, hanc in Synodo factam monitionem trinæ vim, ac robur obtinere; præter eam, quæ fit in prædicto Edictò fer. 4. Cinerũ in Vrbe, prima Dom. Quadrag. per Diœcesim solito promulgari.

C A P. III.

De Vicariis Foraneis.

25 Vicarij Foranei, qui ad speciale Diœcesis regimen per singula illius loca à Nobis deputantur, omnem curam adhibeant, vt eas Constitutiones obseruẽt, quæ dudum ab Archiepiscopali Curia ad eorum instructionem sunt ordinatæ.

27 In ijs, quæ ad eorum officium spectant, vtantur opera, & consilio Assessoris Curiæ per Nos designandi, quo cum bis in heb-

domada

domada in loco à ſe eligendo conuenient, accerſitis Mag.Notario, cæteriſq; officialibus, prout ipſis expedire videbitur, res omnes diligenter inſpiciant, prouiſiones, & rerum deliberationes ea forma conficiantur, vt & de Vicarij mandato, & ad relationem Aſſeſſoris emanent; cauſſas ciuiles ab vncijs 10. ipſi terminent, ſi eam ſummam exceſſerint ad Generalem Vicarium remittant: alioquin eorum ſententia nulla, & inualida cenſeatur.

28 Cæterum circa ordinationes, iniunctiones, proceſſus rerum criminalium, & ciuilium, cedulas, cæteroſq; actus Iudiciales, ſummopere ſtudeant, vt minimo quãtum poteſt litigantium incommodo pertractẽtur: & conſtitutiones aliàs promulgatas, ab omnibus, & ſingulis ſub pœnis inibi præſcriptis inuiolabiliter obſeruent, & obſeruari faciant.

29 Delictorum inquiſitiones faciant, & illorum denunciationes, atq; accuſationes recipiant, in carcerem delinquentes conijciant: ſed informationes, omniaq; alia acta ad M.C.A. tranſmittant. Et quos ſemel carceribus mancipauerint, abſq; noſtra, vel noſtri Vic. Gen. licentia non abſol-

ſoluant; exceptis tamen ijs, qui correctionis gratia in leuibus ab ipſis pœna carceris puniuntur: nec vllas in Memorialibus prouiſiones faciant, ſed ad Nos, vel noſtrũ Vic. Gen. illa continuo tranſmittant: Matrimoniales, aut Beneficiales cauſſas nullo modo tractare præſumant. Pia legata, iuxta teſtatorum diſpoſitiones debitæ executioni mandari procurent. Curam habeant ſolertem circa Clericorum vitam, & honeſtatem, harumq; Synodalium Cõſtitutionum obſeruantiam: tranſgreſſiones, & tranſgreſſorum nomina ad Nos deferant. Curent etiam, vt quæ à Nobis in noſtra viſitatione præcepta fuerunt, accuratè executioni mandentur. Exteros Preſbyteros ad Miſſas celebrandas, licet ſuorũ Ordinariorum dimiſſorias afferant, abſq; noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia non admittant. Edictum generale, quod fer. 4. Cinerum in noſtra Cathedrali Eccleſia promulgatur, in Eccleſijs loci, qui ſuæ curæ ſubeſt, Dominica prima Quadrageſimæ promulgent.

30 Neuè etiam debita merces iuxta laborum merita cuiq; denegetur, taxationem Archiepiſcopalis Curiæ ſequantur, vltra

quàm ne quicquam omnino exigant, nec etiam sponte oblatum accipiant.

31 In sui muneris administratione, eos se præbeant, quos cæteri omnes sequantur, ac imitentur, morum integritate, virtutum officijs, vitæ consuetudine.

32 In rebus difficilioribus Nos consulant, non solùm de ijs exequendis, quæ vel in hac Diœcesana Synodo decernuntur, vel peculiaribus mandatis significantur; sed etiam in rebus omnibus, quæ ad id præstandum, & ad Cleri, ac populi mores corrigendos, & Sanctè, ac piè viuendum, vsui, atq; adiumento esse possunt.

33 Parochum eius loci, qui suæ curæ subiacet, si ægrotet, salutaribus monitis adiuuent, & frequenter inuisant: si vita excesserit, Nobis quamprimum renuncient.

CAP. IV.

De Visitationibus.

34 VIsitationis munus ad Dei honorem, animarumq; salutem Sanctissime institutum, si quando casus tulerit, vt per nosmetipsos exequi non possimus, id per nostrum

noſtrum Generalem Vicarium, aut Viſitatorem ex Concil. Trid. decreto perficiemus: & quidem cui hanc prouinciam demandabimus, hæc omnia in primis accuratè ſeruanda præcipimus; nimirum vt ſingulas Parochias, Monaſteria, Sodalitia, Confraternitates, Hoſpitalia, Congregationes, loca, & opera pia viſitet, rationes dati, expenſiq; accipiat; defunctorum hominum pias voluntates executioni mandet; cæteraq; peragat, quæ ad bonos mores inducendos ſunt neceſſaria; & poſt modum diſtinctius exponentur.

35 Cæterum laicorum hominum hoſpitia, ac multo magis conuiuia fugiat, comitatũ non habeat niſi neceſſarium, modeſto contentus famulatu, memor viſitationum præcipuum eſſe ſcopum, ſanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere; Populum cohortationibus, verbo & exemplo ad religionem, pacem, & innocentiam inflammare; ne autem onerosus ſit, ſtudeat quàm celerrimè debita tamen cum diligentia viſitationem abſoluere.

36 Nè ſumptibus cuiquam grauis ſit, Mag. Notarius, & Commiſſarij nihil exigant

pro actione, vel conscriptione decretorũ; quæ sunt in visitatione confecta; nec pro eorum exemplo suo iussu edito, nec vllum doni quoquomodo oblati genus accipiat: In reliquis verò mercedem capiat pro taxatione ab Archiepiscopali Curia præfixa.

37 Antequam visitationis initium faciat, in Ecclesia visitanda; si commodè poterit, oratio XL. horarum instituatur, precesque pro salutari visitationis euentu habeantur. Ipso die visitationis Missæ sacrum, vel à se, vel ab alio ritè peragatur, in qua Edictum, vt moris est, promulgabitur.

38 Vt autem facilius, ac fructuosius Visitationis finem assequatur; nonnulla summatim capita selegimus ex ijs, quę sparsim in tota hac Synodo à Nobis tradita sunt, quæq; ad Visitationis munus piè, rectèque obeundum maximè conducere possunt. Locorum igitur prius visitationem aggrediatur; deinde Personarum. Initio autem Visitationis quorumcumq; locorum, vel Personarum exhiberi sibi curet postremæ Visitationis Ordinationes, ac diligenter perquirat, an illæ executioni sint demandatæ.

39 In locorum autem visitatione ipsi eo

ordine

ordine procedendum erit; vt primò SS. Eucharistiæ Sacramentum visitet, tũ Baptisterium, mox Olea Sacra, deinde Sacras Reliquias, Imaginésq; deniq; Ecclesiam ipsam, eiusq; partes, Altaria, & Cappellas. His adnectitur visitatio Hospitalium, & locorum piorum, ac Monasteriorum Monialium.

40 Maxima igitur primum Visitatori adhibenda est cura, vt quâ decet reuerentia, & cultu seruetur, ac tractetur Augustissimum hoc Eucharistiæ Sacramentum, in quo diuitias sui erga nos amoris Christus Dominus veluti effudit: sciatq; extra Parochiales Ecclesias asseruari non posse absq; Papæ licentia, ac priuilegio; vt obtinent Regulares.

41 Inquirat num ad custodiendi, asseruãdiq; vsum habeatur tabernaculum bene firmum, & vndequaq; obseratum, cuius duas saltem auratas claues nonnisi Presbyter apud se habeat: & quidem ligneum, serico tamen panno interius ornatum; & ita aptatum, vt ex eo commodè SS. Eucharistia extrahi possit, nec propterea super Altare ascendendum sit: vacuum à reliquijs Sanctorum; vt nihil omnino aliud

ibi

ibi asseruetur; illius pauimentum an corporali mundo sternatur.

42 Inquirat etiam num ad minus quelibet Parochialis Ecclesia duas habeat pixides argenteas, vnam pro communione generali quæ nunquam à Tabernaculo amoueatur, aliam pro SS. Eucharistia ad infirmos deferenda; in qua an tot reponantur particulæ, quot satis sint ad infirmorum communionem, & aliquæ supersint. An Pixides intus aurolitæ sint.

43 An adsint præterea Conopæum, Velū pro humeris oblongum, & quidem album: item lampas è regione, non è latere prælucens, vmbella, laternæ, intorticia, tintinnabula gestatoria, vt SS. Eucharistia ad Infirmos honorificè, vt par est, deferatur.

44 Disquirat etiam quotis diebus particulæ renouentur, & an à fragmentis sacra vasa mundentur: quot candelæ ardeant super altare dum Augustissima Eucharistia fidelibus administratur, vel ad infirmos defertur, & cuius expensis hæc omnia perfici debeant.

45 An Fons Baptismatis in qualibet Ecclesia curata, cautè, & nitidè custodiatur in loco conspicuo, parum à sacrario disiun-

ctus,

ctus, claui obseratus, saltem diebus solemnibus eius aqua renouetur: num adsit item Cochlear pro insumenda aqua, quę in vase recipiatur, & in sacrarium mittatur: lintea etiam ad tergenda capita: & mensa, seu alius conueniens locus, in quo reponantur vasa oleorum sacrorum, & sal benedictum.

46 An olea sacra in vasis argenteis, vel saltem stanneis coopertis bombacio madido caute, & in loco decenti asseruentur, cum inscriptionibus de oleo, quod vasculo continetur: an ea sint ex nouis, & eo anno consecratis; veteribus combustis.

47 Circa sacras Reliquias erit obseruandum, an honorificè custodiantur in armario decenter ornato, in cuius regione ad illarum cultum lampas, vbi fieri potest, continuò ardeat: num sint in Ecclesiæ inuentario fideliter conscriptæ, fidisq; ministris creditæ, num approbatæ, & an exponantur extra Thecam.

Moneat etiam ne transferantur absque auctoritate Papæ, vel nostra literis exarata: item ne alijs concedantur, vel donentur, computantur enim inter mobilia pręciosa Ecclesiæ, quæ alienari non possunt.

Ob-

48 Obseruet sacras Imagines, num quo decenti cultu habeantur: Item caueat ne prophanis, vanisq; ornatibus, aliouè modo, quem generalis adhuc Ecclesiæ vsus non adhibuit, depingantur contra Decretum Vrb. VIII. recens editum: ne insolitæ exponantur, etiam in Ecclesijs quomodolibet exemptis: ne alicuius imago in Ecclesijs exponatur, qui adhuc Sanctorum, vel Beatorum numero adscriptus non sit: ne imago Christi Domini sub sola forma Agni in Cruce deposita, sed in forma humana, demum ne Crucis signum in silice, vel marmore humi positis sculpatur.

49 Insuper attendenda ei præcipuè erunt Ecclesiæ Tectum, Parietes, Fenestræ, & Ecclesiæ constructio, seu fabrica, num reparanda sint, & cuius expensis, ne ministrorum incuria indecorum quid eueniat.

50 In ea prohibeat deambulationes, colloquia, vigilias nocturnas, commessationes, scholas puerorum, mendicorum discursus, stipulationes, transitus cum oneribus, concilia laicorum, & cætera huiusmodi.

51 In atrio Templi, sicut in Cœmeterijs, prohibeat mercatus, negotiationes, venditiones esculentorum, bestiarum transitus,

tus, ludos, nec non & nundinas, nisi Ecclesia speciali priuilegio fulta sit, vt nostra Metropolitana ex Gregor. XIII. concessione.

52 Animaduertat, an diuisio marium à fœminis fiat tabulato, vel ad minus tela interiecta, saltem tempore Quadragesimæ pro Concionibus audiendis.

53 An adsit suggestum, seu Pulpitum in Ecclesijs curatis: an Chorus à populo discretus, cancellis vndiq; septus, clauibusq; obseratus, vt quo tempore Diuina peraguntur, nullis pateat laicis, nisi forte Magistratibus, vbi hæc viget consuetudo: in eo inspiciat sedilia, & legilia, item Organum, & libros, quibus officia diuina ritè exerceantur, Gradualia, Antiphonaria, Breuiaria, Psalteria, Martyrologium, omnia iuxta nouissimam correctionem Vrb. VIII. Pontif., Directorium Chori, Manualia.

54 An adsint in Ecclesia vasa aquæ benedictæ, quæ semel saltem in hebdomada renouetur. Aditus cautè obserati, Campanile non omnibus peruium, & in eo Campanæ benedictæ; Confessionalia in Ecclesijs Curatis, cum integra Crate perforata, quæ Sacerdotem à pœnitente seiun-

gat, patenti, ac conspicuo loco posita; extra quæ neminem Confessariorum Confessiones excipere iubeat, præsertim mulierum, & nonnisi superpelliceo, & stola violacea indutum; & mulierum quidem nec ante Solis ortum, nec post eius occasum: consideranda insuper ei erunt in Ecclesia Sepulchra, Ecclesiæ Dedicatio, Titulus, Festa, Indulgentiæ, stationes, & si quæ sunt in illa Beneficia libera, vel iurispatronatus:

55 Præterea debet præcipuè recognoscere Altarium ornamenta, an sordida, an verò munda, & nitida, & cuius expensis perfici debeant.

Disquirat Altarium latitudinem, & longitudinem, num ad mensuram concinnata, secus dirui iubeat; nisi sint in Ecclesia consecrata, tunc enim Nos erimus consulendi: Nec permittat supra hominum sepulchra erigi Altaria.

An ita extructa sint, vt nulla ex parte sit relictum foramen, in quo quidquam recondi possit; nisi forte reliquiæ Sãctorũ.

56 An vnumquodq; Altare habeat Crucem cum imagine Crucifixi, cãdelabra saltem duo, & opercula ad extinguẽdas candelas,

las, cartulam cum secretis, aram lapideam sacratam, Mensæ ipsius medio aptè insertam, telaq; cera inducta coopertam, eius mensuræ, vt saltem integram hostiam, & maiorem partem calicis capiat: Tobaleas tres, quarum vna ad planum vsq; pertingat, reliquæ saltem aram lapideam sacram contegant: Puluinar vnum, telam stragulam ad tobaleas à puluere defendendas; pallium decens eius coloris, qui festo congruat; scabellum, quod à fronte altaris ita producatur, vt genuflectere in eo commodè valeat Sacerdos; fenestellam vrceolorũ, non in altari, sed propè illud in cornu Epistolæ, campanulam, clauum pro bireto Celebrantis.

57 Obseruet lampades cum lampadarijs è regione altarium, quot, quo tempore, & cuius expensis ardere debeant: an Vmbellã, & Tapetum in scabello habeat, saltem altare maius, & illud, in quo asseruatur SS. Eucharistia, quod etiam septis vndiq; conclusum esse debet.

Demum consideranda ei sunt in altari Consecratio, Dos, Patronus, Onera Missarum, Titulus Beneficij, Festum.

58 An Sacristia vnum dumtaxat aditum

habeat, qui ad Ecclesiam ducat, cæteri verò, si qui sunt, nonnisi ad vsus necessarios pateant, nec omnibus sint peruij. An in eâ adsint armaria, & vestiaria ad indumenta conseruanda; ipsa verò indumenta non lacera, & indecora, sed nitida, & aptè concinnata. Hæc autem necessaria sunt in qualibet Ecclesia: Calix; Patena; Velum Calicis; Corporale cum Palla; Sacculus Corporalis, seu Bursa, Purificatorium, Vrceoli vitrei, non argentei, cum peluicula; Missalia cum signaculis; & pro eis Puluinar; Sudariolum ad abstergendas manus; Tintinnabula. Prętereą indumenta linea, videlicet Amictus, Alba, Cingulum; item Manipulus, Stola, Casula, eaq; quinq; sint colorum: campanula muro affixa propè portam Sacristiæ.
59 In Collegiatis autem, & Parochialibus, an præter iam enunciata; sint etiam Dalmaticæ Diaconales, Tunicellæ Subdiaconales, Stola, & Manipulus Diaconalis, & Manipulus Subdiaconalis, Cappæ, & Pluuialia diei festo conuenientia: an adsit prętereà Thuribulum cum nauicula, & Cochleari, Crux processionalis; Tabella Pacis, Vas pro aqua benedicta cũ Aspergillo,
&

& in Ecclesijs Curatis Mappæ, & Vasa pro laicorum purificatione, & mantilia substrata mensæ Communionis. Labrum ad lauandas manus cum manutergijs, & piscina sacra: Item Oratoria, in quibus possint Sacerdotes se colligere, & orare cum tabellis precum ante,& post Missam: Necnon Tabella cum descriptis oneribus Missarum,& Annualium: liber pro Missis adnotandis, vt in singulis diebus celebrantur, & Inuentarium totius supellectilis: & inspiciendum ei erit,cui hæc credita,& an cum idonea cautione: & cauendum est nè illa quispiam vtatur, vel eam in alios vsus adhibeat: sicuti neq; Ecclesiæ dirutæ materia, vt lapides, ligna, &c. in prophanos vsus absq; nostra licentia conuertere sinat.

60 In Hospitalibus, & locis pijs inquirat Visitator, an omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, accurate executioni mandentur,& an diligenter hospitalitatis opus administretur, pro vt disponit S. Concil. Trident.

61 Attendendę item ei sunt cellę,& distinctio sexus. Item supellex, lecti &c. Tabellæ onerum,Inuētarium bonorum,& scrip-

turarum,

turarum, Statuta, Fundatio, Priuilegia, Indulgentiæ, Ministerium, Sacramentorum frequentia, Prouentus, Eleemosynæ, Iura omnia, & Expensæ.

62 In visitatione Monasteriorum Monialiũ maximè attendere debet ad Clausurã, portas, parietes, rotas, fenestellam Communionis, crates ferreas duplices, Collocutoria, fenestras, prospectus, aditus, omnia loca introspiciens, aliaq; diligenter, & accuratè, iuxta Constitutiones Sum. Pontif. & præcipuè Pij V. & Greg. XIII. statuta nostra Synodalia, aliasq; ordinationes.

63 Monialium verò Monasteria Regularibus subiecta visitet quoad clausuram, cęteraq;omnia ad ipsam quomodolibet pertinentia.

64 In hac verò locorum Visitatione hæc statim exequenda præcipiet, Altarium demolitionem vbi necessaria est; Ararum confractionem.

Sacrorum oleorum veterum combustionem.

Amotionem sepulchrorum, si loco vetito sint extructa, vel aliorum impedimentorum, prophanarum, & insolitarum Imaginum.

Inci-

Incisionem arborum à locis sacris, vel ramorum Ecclesiæ parietibus nocentium.

Lacerationem Corporalium; Purificatoriorum, Missalium, & aliarum vestium, si sint indecentes, & sacro vsui omnino ineptæ.

Prophanationem Calicum, Patenarum, obstructionem portarum, & cætera huiusmodi.

65 Maturius autem executioni mandanda præcipiet; Reconcinnationem altarium: Vmbellę super altare constructionem: Septa Altarium, Cruces, Candelabra, & alia huiusmodi: assignato congruo temporis spatio, & imposita pœna.

66 Id quod generatim seruare debet, vt scilicet, in dandis decretis, distinctè statuat à quo, cuius sumptu, quo temporis spatio quicquam fieri oporteat; & quæ præterea pœna contumacibus irroganda.

67 Quod verò attinet ad Personarum Visitationem, si quidem Visitatori committatur Visitatio Capituli, & Cleri Cathedralis Ecclesiæ, quos tamen per Nosmetipsos, quoad fieri poterit, semper visitare curabimus; aliqua prius obseruanda erunt, quę ad Capitulum, & Clerum communiter spe-

ſpectant, vt eſt eius Origo, numerus Dignitatum, Canonicorum, Perſonatuum, & cæterorum Beneficiatorum, & in eis quot Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi: Habitus Choralis: ſtatuta præcipuè iurata, eorumq; obſeruatio: Archiuium commune Scripturarum, & Priuilegiorum, & corũ cuſtodia: Diſtinctio Præbendarum, Redditus, Diſtributiones, ſeruitium, Cantus.

68 Præterea Pœnitentiarij, officiales Capituli, Conuentus Capitulares, an per ſecreta ſuffragia, præcipuè in electionibus, & num congregentur tempore diuinorum officiorum: acta, onera, Miſſæ ſolemnes, Anniuerſaria, Conſuetudines, quorum omnium exactam rationem à Digniore Capituli in ſcriptis poſtulanda erit.

69 A ſingulis etiam Dignitatibus, Canonicis, Perſonatibus, ac Beneficiatis, præter ea, quæ ſunt communia cæteris, exquirendus primò eſt Titulus Dignitatis, Canonicatus, Perſonatus, & Beneficij cuiuslibet. Item an alia habeant, & num compatibilia, ſi ſecus, doceant de diſpenſatione Sum. Pontificis; & accuratè ponderanda ſunt verba Bullarum Apoſtolicarum, Prouiſionum, & inſtitutionum.

Exami-

70 Examinandus item est cultus diuinus, Chori disciplina, Horæ Canonicæ; an ab omnibus deuotè; & cum pausa in medio versiculi recitentur: num reuerenter Choro intersint, an verò otiosi, desides, aut loquaces confabulentur, negotijs vacent, aut quid huiusmodi. Item num diuidantur distributiones quotidianæ interessentibus; & fructus applicentur iuxta consuetudines capitulares, deliberationes, constitutiones, & rationem punctorum, vt iuris est; & an hac in re obseruetur dispositio Conc. Trid. ac declarationes à S. Congregat. eiusdem Concilij interpretum emanatæ, & Synodales hæ Constitutiones: qui Chorum nõ frequentent, & quam ob caussam: Item quota hora diuina peragantur, & an quisq; per se, & non per substitutum diuina obeat officia. *Sess. 21. c. 3.* *Sess. 22. c. 3.* *Sess. 24. c. 12*

71 Per Tridentinum etiam statuitur posse ab Ordinario officialibus; & administratoribus, qui Sede Vacante fuerint à Capitulo constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo exigi rationem officiorum, Iurisdictionis, administrationis, aut cuiusuis eorum muneris; atq; eos punire, si in eorum officio, aut administratione deli-

querint, etiam si à Capitulo liberationem obtinuerint.

72 Expendendum etiam est cuiuscumque Dignitatis, Canonici, Personatus, & Beneficiati officium, num quisq; accuratè suo muneri satisfaciat, iuxta huiusce Synodi sanctiones. Ij præsertim, qui aliqualem obtinent specialem iurisdictionem, vel administrationem, vti est Archidiaconus, Fabricæ Præfectus, seu Marammerius Cathedralis, ac etiam Marammerij Parochialis Ecclesiæ S. Iacobi Maritimæ, Deputati Missarum, ac demum Thesaurarius.

73 Archidiaconi quidem officium perpendendum est maximè in examine testium, & taxa præscripta.

74 Insuper à Canonico Fabricæ Præfecto reddenda ratio redditũum, & libri discutiendi sunt, in quibus liquido pateat ratio dati, & accepti. Item Ministrorum Fabricæ cura, Sedulitas, Fides, nec non & administratio legatorum, & aliorum onerũ, iuxta mentem Testatorum.

75 A Thesaurario, præter accuratã rerum sibi creditarum custodiam, petenda cautio est, nè si quid depereat, aliquid in suis ornatibus detrimenti patiatur Ecclesia; &

in

inquirendum, num cætera peragat, quæ ipsi in hac Synodo præscribuntur.

76 Demum discutiatur officium Canonicorum Deputatorum Missarum, num frequenter librum euoluant; eosq; Archiepiscopo denuncient, qui Legatorum, & Beneficiorum oneribus non satisfaciunt: num à Curatore Missarum singulis mensibus rationem dati, & accepti petant, & an ea compleant, quæ in asseruandis pecunijs à fidelibus oblatis pro celebratione Missarũ ab hac Synodo ipsis statuuntur.

77 In Parochorum visitatione, præter ea, quæ sunt communia cæteris Beneficiatis, & Sacerdotibus, obseruet Visitator accuratè, an Magister Cappellanus, & reliqui Parochi suum diligenter obeant munus in ijs, quæ sequuntur, nimirum.

In residentia suæ Parochiæ, nec non sacrorum officiorum, & diuini cultus decore seruando, præsertim in festis solemnioribus, & hebdomada Sancta.

In continendo populos in officio, & deuotione, & vt piè, ac religiosè in Ecclesia versentur, præsertim diebus festiuis, atque in his sacro intersint.

In instruendis pueris Christianæ fidei

rudimentis; populisq; Cathechismo imbuendis.

In accuratè referendis Baptizatorum, & Compatrum nominibus, nec non, & contrahentium Matrimonia, ac etiam Defunctorum anno; dieq; adnotato; distinctis voluminibus.

In scelestis, scandalosisq; hominibus inquirendis; & ad Nos deferendis, si aliter eos lucrari non valeant.

In describendis quotannis populis sibi commissis, iisq; præsertim, qui in Paschate SS. Eucharistiæ Sacramento non sunt refecti.

In Sacramentorum administratione, præsertim indigentibus; in seruando Rituali Romano: in frequentia, & sollicitudine ad audiendas Confessiones suorum subditorum: in Visitatione Infirmorum.

In remouenda sponsorum ante matrimonium cohabitatione, & alijs quibuslibet deprauatis moribus eradicandis.

Ac demum in ijs seruandis, quæ ipsis à Sacrosancto Conc. Trid. Bull. Clem. VIII. de Parochiarum Reformatione, ac his Synodalibus Constitutionibus sanciuntur.

78 In Beneficiatorum visitatione perqui-

renda sunt à Visitatore, Beneficij Titulus, ætas à Tridentino requisita, pluralitas Beneficiorum, Bullæ, Pensiones, Patronus, Tempus collationis, Dos, Redditus, Onera, Satisfactio cum authentico documento, officium diuinum, Alienatio bonorum Ecclesiasticorum, eorumdemq; inuentarium: an ipse Beneficiatus ad titulum Beneficij sacris sit initiatus, & à quo Antistite, & cætera huiusmodi.

79 In Visitatione cuiuscumq; de Clero perscrutetur Visitator, an Clerici in suis animi motibus moderandis diligentes sint, & præsertim.

In ædificatione Proximorum, & continentia.

In abstinentia à vetitis vestibus, & coloribus.

In Tonsura deferenda, & cincinnis penitus abscindendis; & an ritè sint ordinati

In frequentandis Ecclesijs, quibus ex Tridentino adscripti sunt ab Episcopo.

Item an sordido laicorum famulatui mancipati sint, & indignis obsequijs.

An negotiationibus, & venationibus à iure prohibitis vacent.

An facultates celebrandi, & ministran-

di

di Sacramenta ab Episcopo Presbyteri obtinuerint.

An sine dimissorijs litteris suorum Antistitum in hac Vrbe, aut in Diœcesi Exteri commorentur.

Demum an omnes cætera seruent, quæ pro Clericorum honestate Sacri Canones, ac præsens Synodus decernit. Omnem autem diligentiam adhibebit in Cleri disciplina, sicubi collapsa fuerit, restituenda.

80 In Seminarij Visitatione Visitatori considerandа est Rectoris Sedulitas, cui accuratè inuigilandum, non ijs modo, quæ ad externã familiæ, & reddituum administrationem, & Oeconomiam pertinent; quin etiam, & potissimum ijs, quæ ad interius animorum regimen, bonos mores, & litterarum studia concernunt: libros dati, & accepti, Adolescentium indicem petat cũ exacta morum, & progressus notitia. Ita, & aliorum Ministrorum expendenda est cura, & circumspectio, in suo quoq; munere nauiter exequendo.

81 Inquirat Visitator, an præsens Rector, & qui pro tempore fuerunt, gestæ à se administrationis rationem reddiderint, & an liberationes obtinuerint.

Di-

82 Dignoſcendi præterea ſunt Adoleſcentium mores, ingreſſus, ætas, indoles, ſtudia, pietas, & aſſiduus in virtutes quaſque conatus.

Item diſcutiendum, num cantui, & ſacris ritibus, computiſq; operam ſedulo nauent, an ſtatuta, & præſcriptas regulas adamuſſim exequantur, eaq; omnia peragant, quæ eis à Conc. Trid. & hac Synodo præſcribuntur.

83 In viſitatione Adminiſtratorum Piorũ locorum, Cõfratum, & Sodalium quorumcũmq; inſpicere debet Viſitator libros rationum, expenſarum locationum, contractuum, & an ſint vltra triennium: Item qui debitores, & an officiales ipſi, & an geſtæ à ſe adminiſtrationis rationem reddiderint, & liberationes obtinuerint.

Preterea legata nondum ſoluta, & onera alia non adimpleta; ſuperfluos ſumptus, Eccleſiæ redditus excedentes, hoſq; redigant ad ſtatam menſuram, quam tranſgredi nemini liceat, appoſita pœna ſoluẽdi de proprijs pecunijs, quod vltra perſcriptam menſuram expenderint.

84 Item perquirat an fiant commeſſationes, num ſtatutis temporibus conueniãt,

& instituti sui rationem sectentur: an ornamenta cultui Diuino necessaria, & apta habeantur: Item obseruet salaria Ministrorum, Quæstores, Inuētarium scripturarum, prædiorum, & reliquæ supellectilis; Indicem Confratrum, ac Sodalium: ac demum num ea seruentur, quæ hac in re præsens statuit Synodus.

85 In Sodalitatibus autem, Congregationibus, & Confraternitatibus laicorum, aut Clericorum sæcularium, etiamsi in septis Regularium sint, obseruare præcipuè debet institutionem, & aggregationem, an cum consensu Sum. Pontif., vel nostro, & an vnius tantum in singulis locis, & num eius statuta à Nobis, vel nostris Prædecessoribus approbata sint, eiusq; indulgentiæ, & gratiæ recognitæ, & an præscriptus modus habeatur eleemosynas excipiendi, aliaque seruētur iuxta Clem. VIII. cōstitutionē.

86 In officialium Curiæ visitatione, obseruandæ ei erunt potissimum Taxæ, & Pandectæ, num iuxta præscriptam in eis mensuram iura accipiantur, vel quid extorqueatur. Item quæ scripturarum, & Depositorum fides: quæ in expediendis caussis solertia: an carceres visitentur, & quæ

ratio

ratio habeatur eorum, qui inibi detinentur, victus, & custodiæ, & an ea seruentur, quæ hac quinta parte de Foro Iudiciali Curiæ Archiepiscopalis hæc Synodus statuit.

87 In aliorum laicorum Visitatione, primum examinandi ab eo erunt mores ludimagistrorum.

Item Medicorum ad ægrotos transactis tribus diebus accessus iuxta Const. Pij V.

Item Pictorum, ac Sculptorum in Iconibus efformandis circumspectio. 88

Bibliopolarum in edendis prælo voluminibus, vel cæteris detinendis facultas & index.

Notariorum fori laicalis imperitia in contractibus Mutuorum, Cambiorum, &c iuxta S. Conc. Trid. Sanctionem. *sess. 22. c. 10*

Item eorum in detegendis legatis pijs fides, & solertia.

Meretricum nimia licentia.

Cauponum, Vsurariorum, Concubinariorum, Maleficorum, aliorumq; perditorum hominum vitia.

Vagorum, & Peregrinorum mores.

Quæstuariorum abusus iuxta Tridentinam Constitutionem.

Comœdiarum, & histrionum honestas.
Festorum obseruantia.
Legatorum solutio.
Obstetricum peritia in baptizandis infantibus.
Piarum Fœminarum simul conuiuentium fundatio, leges, habitus, conuictus, pia exercitia, redditus, clausura, numerus, regimen, & alia huiusmodi.
Demum, an adsint Oratoria priuata, & num à Nobis fuerint approbata.

88 In Monialium visitatione inquirendum ei diligenter est, ne quid in earum disciplinam inductum sit, quod à pietate alienum videatur. Desquiratur numerus Professarum, & Nouitiarum, & Tempus, quo professionem emiserint, & num Professarum habitus ab eo differat, quo Nouitiæ vtuntur. Attendi præterea debet obseruantia Regularum, silentij, ieiuniorum, & Obedientiæ, & in Paupertatis examine consideretur Bull. Clem. VIII. de largitione munerum cum moderationibus Vrb. VIII. Item inquirendus est victus communis, lectio ad mensam, redditus, onera, eorumque satisfactio, rationes etiam dati, & accepti, & num præscripta expensionis mensuram

ſuram in omnibus ſeruentur.

89 Deinde ſolerter conſiderentur clauſura, circuitus virorum intra ſepta, comites in collocutorio, confabulatio cum laicis ſine venia, Crates apertę tempore Aduentus, & Quadrageſimæ.

90 A ſingulis autem inquiratur profeſſio, ætas, dos collata, renunciatio bonorum, & quæ ſibi reſeruauerint: an Choro, diuiniſq; officijs interſint, num communibus exercitijs inuigilent, & Sacramenta Pœnitentiæ, et SS. Euchariſtiæ frequentent ſingulis ſaltem mēſibus iuxta diſpoſitionem Trid. Item an ſumptuoſis vtantur, fucatiſq; veſtibus, ſpeculis, ſæcularibus Crepidis, Chirothecis, alioue figmento; num etiam canibus, auibuſue nutriendis intentæ ſint.

91 Quælibet demum examinetur de moribus, et adminiſtratione Abbatiſſæ, Magiſtræ Nouitiarum, Vicariæ, Prefectæ Sacriſtiæ, Ianitricis, Oeconomæ, Auditricū, Rotariarum, reliquarumq; officialium, nec non confeſſariorum ordinariorum, extraordinariorum, et cæteris huiuſmodi.

92 Quod attinet ad Regularium, et Exemptorum viſitationem, ea omnia ſeruentur; quę de illis ſupra peculiari capite ſācita sūt

93 In qua quidem Visitatione per morum correctione Visitator tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus statuat, ac exequatur quæcumq; illi pro subditorum emendatione expedire videbuntur; prout S. Concil. Trid. decreuit, non obstāte quauis exemptione, inhibitione, appellatione, querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita.

94 Absoluta cuiusq; Ciuitatis, aut loci Visitatione, Visitatoris curæ erit, vt eius loci Rectores præscripta decreta Mag. Notarij subscriptione munita seorsim adnotata seruent, et exequantur. Tum in Diœcesi Foraneis Vicarijs demandet, vt pariter eorum omnium, quæ pro Clero, alijsq; personis, vel locis sibi subiectis statuta fuerint notam sibi habendam, ac seruandam in peculiari libello curent, et eorum executioni diligenter inuigilent.

95 Si verò per Nosmetipsos visitationis munus obierimus, Nobis aduentantibus, ex peruetusto more, et Concilij Rotomagensis decreto, Magistratus, et fideles omnes obuiam prodeāt, et sacris hymnorum, ac psalmorum precibus cum gaudio, ac reuerentia Christi vicem gerentem, Pastorem animarum suarum excipiant, Nobisque

quæ frequentes adſtent, & quæ ad ſalutem animarum opus habent, liberius exponát.

C A P. V.

De Synodo Diœceſana.

96 SYnodus Diœceſana ad mentem Trid. Conc. celebranda, peruetuſtum Eccleſiæ morem ſecuti, volumus, vt in ſingulos annos Cathedrali in Eccleſia de ſuggeſtu ſacro die Epiphaniæ Populo denuncietur. Actio Synodalis aliquot ante diebus in Matrici, & in Parochialibus Eccleſijs publicabitur, & ad Diœceſis noſtrę Archipresbyteros, & Vicarios ſtata dies per litteras edicetur, item ſupplicationes, & preces peragentur. *ſeſſ.24.c.2. Pont.Ro.*

97 Statuentur etiam Eccleſiaſtici homines qui eorum, qui intereſſe debent, cauſſam, rationemq; abſentiæ cognoſcant, ac præſtito à Nobis tempore, querelas, controuerſias, & accuſationes omnes audiant, & Nobis referant.

98 Pridie illius diei, qua Synodus fuerit celebranda, in qualibet Eccleſia Ciuitatis ſolemni Campanarum ſono ſignificabitur.

Ipſo

Ipſo die Clerus omnis Sæcularis, & Regularis cum Cruce, & Candelabris in Archiepiſcopali Palatio conueniet, Archiepiſcopum ad Eccleſiam Proceſſionis ritu comitaturus.

Cæteraq; ſuo ordine fient, tam quæ ad fidei profeſſionem emittendam attinent, quam ad decreta S. Conc. Trid. & Conſtitutionum Synodalium perlegenda.

D. ſeſſ. 24. c. 18.

Proponentur etiam Examinatores, & Teſtes Synodales, & Iudices ad cauſſas delegati.

99 Quia verò Synodali celebritati triduũ veteri ritu præſtitutum eſt, Archiepiſcopus pro rerum, quæ gerendæ ſunt, ratione, breuiori, aut longiori tẽpore Synodum agat. Ne cuiquam abire liceat, niſi neceſſaria, iuſtaq; cauſſa Nobis cognita, & comprobata. Intereſſe autem debent Canonum pœnis propoſitis Dignitates, Canonici Eccleſiæ Cathedralis, & Cappellæ S. Petri in Regio Palatio, Priores, Rectores, Archipresbyteri, Vicarij, tum cæteri omnes ad quos de iure, vel conſuetudine ſpectat. Exempti etiam omnes qui aliàs ceſſante exemptione, intereſſe deberent.

Trid. ſeſſ. 25 c. 10.

Seſſ. 24. c. 2.

100 Ritus autem, & cæremonias, vltra eas,

quæ

quæ in Pontificali explicantur, obseruari maximè decet, quæ in Cæremoniali Episcoporum proponuntur, & peculiariter in omittēdis acclamationibus, & pacis osculis. Cęrem Ep tit.de Syn. Diæces et Pont.Rom

CAP. VI.

De Examinatoribus Synodalibus.

101 EXaminatoribus in Diœcesana Synodo ab Archiepiscopo proponantur ex Conc. Trid. decreto; & ab illa probentur, nempè vt cum eo examen perficiant eorum, qui Parochialibus Ecclesijs sunt pręficiendi, cui non omnes, sed ij dumtaxat interueniant, quos ad hoc Nos vocari specialiter fecerimus: Nouerint autem sibi munus adeò graue committi, vt si negligenter, aut malè se vllo modo gesserint, Deo exactam rationem reddituri sint, quare non spe, non metu, non præmio, non personarum ratione, neq; alio affectu ducti, tum de probando, tum de reijciendo deliberent. sess.25.c.18

102 Primum igitur delecti iurent omnes ad Sancta Dei Euangelia se quacumque humana affectione postposita, fideliter

munus executuros, caueantq; ne quicquã prorsus occasione huius examinis, nec ante nec post accipiant; alioqui simoniæ vitium, tam ipsi, quam alij dantes incurrẽt.

Forma verò Iuramenti est.

Ego N. iuro me mandatum mihi munus Examinatoris fideliter, atq; integrè omni priuato studio, affectuq; posthabito, ex S.Trid.Conc. præscripto executurum: ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

103 Examinatores igitur à Nobis propositi, ac probati sunt.

Ex præcedenti Synodo confirmantur, & in præsenti de nouo etiam eliguntur.

S.T.& V.I.D. Don Marcus Gezius Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
S.T.& V.I.D. Don Ioannes Antonius Gelosus Cantor Ecclesiæ Cathedralis.
P.D.Antonius Diana Clericus Regularis.

In præsenti eliguntur.

Noster Vicarius Generalis.
S.T.& V.I.D.D.Io:Baptista Vignolus Decanus

&

& primus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis. Prot. Apost.

S.T.D D.Andreas de Anna Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

V.I.D.D.Franciscus Denti Canonicus Ecclesię Cathedralis.

S.T.& V.I.D.D.Franciscus Romano Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

S. T. D. D. Marianus de Bononia Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

S.T. & V.I.D. D.Vincentius Lipocelli Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

S.T.&V.I.D.D.Thomas de Leonardis Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

S.T. & V.I.D. D.Ioannes Baptista Bongiorno Rector Paroch.Ecclesiæ S. Antonij.

S.T.D.D.Marcus Serio Rector Paroch.Ecclesiæ S. Hippolyti.

V.I.D.D.Ioseph Vassallo.

P.Mag.Ferdinandus Vulpius Ordin. Prædic.

P.Fr.Cosmas à Panormo Lector Iubilatus, & Definitor Generalis Ord. Min. de Obseru.

P.Mag. Gaspar Sghemma Ordinis Conuentualium S.Francisci.

P.Mag. Marcellus à Castro Ioanne Ord. Eremitarum S.Patris Nostri Augustini.

P.D.Franciscus Marchisius Clericus Regular.

P. Petrus Salerno Societatis Iesu.
P. Octauius de Gregorio Clericus Minorita.

CAP. VII.

De Testibus Synodalibus.

104 INnoc. III. decretis in Conc. Lateranensi, inhærentes, vt facilius corrigātur excessus, moresq; reformentur, per singulas regiones idoneas personas, prouidas videlicet, & honestas statuimus, quæ Testes Synodales dici consueuerunt, nimirū, vt per totum annum simpliciter, & de plano absq; vlla iurisdictione sollicitè inuestigent, quæ correctione, vel reformatione sunt digna, & ea fideliter ad Nos perferāt, vt super his, & alijs, prout vtilitati, & honestati congruerit, prouida deliberatione procedamus, & quæ statuerimus, faciant obseruari, publicaturi ea in Synodis per Nos celebrandis.

cap. sicut olim de accusationib

105 Cæterū, vt præ oculis habeant, quæ potissimū inspicere, & procurare debeāt, ea in certa quædam capita digeremus. Præcipuè igitur in hæc inuigilent, ac solertissimè peruestigent:

An

An ea, quæ in pios vſus fuerint à fidelibus legata, ſanctè, ac tempeſtiuè ex teſtatorum mente ſoluantur.

An præſentes conſtitutiones, legeſq; Synodales, vt par eſt inuiolatę ſeruentur.

An Dominicis, & feſtis diebus, qui curam animarum gerunt, inter Miſſarum ſolemnia plebes ſibi commiſſas paſcant ſalutaribus verbis, monitiſq; ſalutis.

An eiſdē diebus à prādio, pueros, puellaſq; Chriſtianis rudimentis inſtituant.

An tam ij, quam Clerici omnes habitum, & tonſuram Clericalem geſtent.

An res Eccleſiarum aliquo modo alienentur, oppignorentur, vel obligentur.

An Eccleſiæ conſuetis, & debitis ſeruitijs fraudentur.

An Clerici Conſtitutiones, quæ præcipuè vitam, & honeſtatem Clericorum reſpiciunt ſeruent.

An Parochi Sacramenta ea, qua decet reuerentia, & diligentia adminiſtrent, & præcipuè an eorum incuria factum ſit, vt aliqui non ſuſceptis Pœnitentiæ, Viatici, & Extremę Vnctionis Sacramētis deceſſerint.

Item quam piè ij, & cæteri omnes laici in Eccleſijs verſentur, quam ſanctè Miſſæ

sacrificio, diuinisq; officijs, & prædicationibus intersint; item quàm religiosè ieiunia, festosq; dies seruent, & colant.
An sint publici sacrilegi, Blasphemi, concubinarij, adulteri, incestuosi, vsurárij, vel coniuges separatim commorantes, bonorum morum corruptores, & à fide, & veritate declinantes, vbi iure cum scandalo, & populi offensione viuentes.
106 Eos igitur, quos præsenti Synodo nominamus, allatis Sanctorum pignoribus, sine Reliquijs, Sacramento ab Eutychiano Papa instituto, singillatim obstringimus in hæc verba:
Ego N. testis Synodalis ab Illustriss. D. Archiepiscopo nominatus promitto, spondeo, & iuro, quod amodo in antea quidquid noui, aut audiui, & postmodum inquisiturus sum, quod contra Dei voluntatem, & rectam Christianitatem in Parochia mihi commissa factum sit, aut futurū erit, si in diebus meis euenerit, tantum vt ad meam cognitionem quocumq; modo perueniat, si sciuero, hoc mihi fuerit indicatum Synodale mandatum esse, & ad ministerium Archiepiscopi pertinere, Ego nec propter amorem, nec propter timorē,

nec propter pretium ; nec propter parentelam vllatenus celabo Archiepiscopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque me de hoc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet ; & hæ Sanctorum Reliquiæ.

107 Testes igitur Synodales erunt in Vrbe.

V.I.D. D. Mattheus Staropoli Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis.

D.Ioseph Bruno Canonicus Ecclesiæ Cathedr.

D.Gerardus Spatafora Canonicus Eccl. Cath.

S.T.& V.I.D. D.Franciscus Russo Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

S.T.& V.I.D.D.Io: Magri Canonicus Ecclesię Cathedralis.

D.Nicolaus Friani Canonicus Ecclesi. Cathed.

V.I.D. D. Paulus Muxia Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

S.T.D.D.Antoninus Sansone Rector Ecclesię Parochialis S. Crucis.

V.I.D. D. Vincentius de Termini Rector Parochialis Ecclesiæ S. Margaritæ.

S.T.D.D. Hieronymus Rampulla Abbas.

P. Ioseph Gambacorta Congregationis Oratorij

torij Sancti Philippi Nerij.
D.Ioseph Gittardo Beneficiatus Eccl.Cathed.
S.T.D.D.Antonius Viterbo Beneficiatus Ecclesiæ Cathedralis.
S.T.D.D.Hieronymus Cannesius.

In Diœcesi.

S.T.D.D.Cæsar Romano pro Thermis.
D. Franciscus Guiuenco pro Caccabo, Altauilla, & Trabia.
D.Antoninus de Martino pro Vicari, Larcara, & Roccapalumba.
D.Vincentius la Manna pro Dimidio Iusso, & Guderano.
D.Ioannes de Siluestro pro Ciminna, Baucina, & Ventimiglia.
D.Ioseph de Amato pro Marineo, & Oleastro
D.Antoninus de Anna pro Misilmeri.

CAP. VIII.

De Iudicibus Delegatis ad Causas.

c. statutum de rescript. in 6.

108 STatutū Bonifacij Pap. VIII. quo sancitur, vt nullis, nisi Dignitate prædi- tis, aut Personatum obtinentibus, seu Ec- clesiarum

clesiarum Cathedralium Canonicis, caussæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicę, vel Legatorum eiusdẽ, de cætero committantur, exequentes, in Diœcesana hac Synodo ex Trid. Constitutionẽ personas infrascriptas designamus, quibus caussæ Ecclesiasticæ in partibus delegandę committentur; & si quem mori contigerit, cum Consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Synodum substituemus. Quos omnes admonemus, vt terminandis caussis, quanta fieri poterit breuitate, studeant, ac litigatorum artibus, modis omnibus occurrant. sess.24.c.10

Iudices ad caussas delegati.

109 Ex præcedenti Synodo confirmantur, & in præsenti de nouo eliguntur.

S. T. & V. I. D. D. Marcus Gezius Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
S.T.& V.I.D. D.Io: Antonius Gelosus Cantor Ecclesiæ Cathedralis.
S.T.D. D.Io: Baptista Bongiorno Rector Ecclesiæ Parochialis S.Antonij Prot.Apost.
V.I D.D.Paulus Muxia CanonicusEccl.Cath.

In

In præsenti eliguntur.

S.T.&V.I.D. D.Franciſcus Salerno Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, Noſter Vic.Gen.

V.I.D. D.Mattheus Staropoli Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis.

S.T.&V.I.D. D. Io: Baptiſta Vignolus Decanus, & Primus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Prot.Apoſt.

S.T.D Don Andreas de Anna Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

V.I.D. D.Franciſcus Denti Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

S.T.&V.I.D D.Franciſcus Romanus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

S.T. D.D. Marianus de Bononia Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

S.T.& V.I.D. D.Vincentius Lipocelli Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

S.T. & V.I.D. D. Ioannes Magrì Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

D.Fráciſcus Caterina Canonicus Eccl. Cath.

S.T.& V.I.D.D.Thomas de Leonardis Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

D. Benedictus Milazzo Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Puteolanæ.

S.T.D.

S.T.D. D.Hieronymus Danieli Rector Ecclesiæ Parochialis S. Ioannis de Tartaris Prot. Apost.

S.T.D.D.Marcus Serio Rector Ecclesię Parochialis S.Hippolyti Prot.Apost.

S. T. & V.I.D. D.Franciscus Vetrano Rector Ecclesię Parochialis Sancti Nicolai la Kalsa Prot.Apost.

S.T.D.D.Franciscus Gioeni Prot.Apost.

V.I.D.D.Octauius de Augustino Prot. Apost.

C A P. IX.

De Constitutionibus Synodalibus recipiendis, & obseruandis.

110 SYnodales has omnes constitutiones ex Sacris Canonibus, Concilijs, Pontificum Constitutionibus, ac præsertim ex Sacrosancta Tridētina Synodo, sacrarumq; Congregationum declarationibus haustas, quoniam Vos omnes, qui huic Synodo interestis, in publico vestro consessu promulgatas, & è suggesto recitatas, per verbum Placet, sæpius repetitum, recepistis, acceptastis, & approbastis, & quæ vestra est pietas, ac religio, seruare promisistis:

Nos quoq; recipimus, confirmamus, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus.

111 Difficultates, & controuersias, si quæ exortæ fuerint, Nobis declarandas, ac decidendas reseruamus. Omnia autem, & singula, quæ hac Synodo continentur, qua par est, reuerentia S.R.E. auctoritati subijcimus.

112 Ne quis autem in posterum ignorationem horum decretorum prætendere quoquomodo possit, præcipimus, vt ad valuas Ecclesiæ Cathedralis, tribus continuis diebus affixa proponantur; quibus sanè elapsis vim legis volumus obtinere, & ad vnguem ab omnibus obseruari: intelligant verò omnes, & singuli, qui non paruerint, se pœnis à Sacris Canonibus, Pontificijs Constitutionibus, & his decretis contentis subiacere. Vbi verò pœna aliqua certa minime fuerit constituta, nouerint se nostro iudicio, pro delicti, ac personæ conditione esse puniendos.

113 Quoniam autem Ecclesiasticam disciplinam non solum collapsam restitui, sed restitutam in posterum à Christiano populo sartam, tectamq; haberi necesse est; id circo in Domino monemus, ac distri-

ctè

ctè præcipimus vobis omnibus, & singulis qui præsenti Synodo interestis, & quos vocauit Dominus in sortem ministerij huius, vt hæc decreta, & statuta, tam in iudicio, quàm extra iudicium, & ipsi accuratè seruetis, & ab alijs, ad quos pertinere videbuntur, inuiolabiliter seruanda, quam maximè curetis. Nos verò, vt latius diffundantur, & euulgentur, ea typis quam primum mandari curabimus.

114 Cæterum bonorum omnium largitori Deo, qui dedit velle, & perficere, vna cũ Beatissima Virgine, Beatisq; Apostolis Petro, & Paulo, & Sanctis omnibus, ac præcipuè Vrbis Tutelaribus gratiæ immortales. Vobis autem Filijs dilectissimis gratia Domini Nostri Iesu Christi, charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus. Amen.

F I N I S.

Acta sunt hæc Pan. in Eccl. Cath. plena Synodo Diœcesana Congregata in loco solito, & consueto tribus continuis diebus. Sabbato 29. Mensis Iunij festo die SS. Apost. Petri, & Pauli, Dominica 30. eiusdē, ac die Lunæ 1. Iul. 1652. Ind. 5.

INDEX CAPITVM

QVÆ CONTINENTVR

in quinque huius Synodi partibus.

PARS PRIMA.

De fide Catholica Profitenda, Docenda, atq; Tuenda.

PARS

De Sacramentis.

PARS TERTIA.

De Diuino Cultu.

in

PARS QVARTA.

De Disciplina Ecclesiastica.

De

PARS QVINTA.

De Foro Iudiciali Curiæ Archiepiscopalis.

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Bene-

D

E

 Fa-

F

G

H

I

Incar

Mira-

N

O

P

Proceſ-

R

Ter-

T

V

FINIS.

Impr.
Salernus Vic. Gen.

Impr.
R. D. Petrus de Gregorio P.

V.

F I N I S.

Impr. Impr.
Salernus Vic. Gen. R. D. Petrus de Gregorio P.

